FRANCISCI ROSSI

METROPOLITANAE ECCLES. NEAP. CANONICI
ET IN REGIO NEAPOLITANO ARCHIGYMNASIO
ANTECESSORIS

PRAELECTIONES
JURIS ECCLESIASTICI

EDITIO SEXTA

TOM. I.

NEAPOLI
EX TYPOGRAPHIA XAVERII JORDANI
Prope Ecclesiam S. Dominici Majoris sub num. 15, 16.

MDCCCLIII.

Nulli Sacerdotum liceat ignorare sacros canones.
Caelestinus Papa Epist. III. cap. I.

DE ORTU, ET PROGRESSU
JURIS CANONICI
HISTORICA EXERCITATIO.

Juris Canonici interpretationem suscepturus operae me pretium facturum putavi, si ejus origines exhiberem, quae et lubentius ad propositam materiam perducunt adolescentes, et, cum eo venerint, evidentiorem praestabunt intellectum (1). Plerique sane Interpretes, qui hujus juris initia investigare neglexerunt, apocrypha plurima, atque incerta pro veris, ac certis venditarunt, mores, et instituta apud nonnullas Ecclesias recepta ita obtruserunt, quasi apud omnes peraeque custodirentur. Itaque ne in hos scopulos impingamus, Ecclesiastici Juris originem, variasque vices paucis perstringemus, illud prae oculis habentes, nos adolescentibus Canonici Juris elementa tradere, in quibus fusior disputatio discentibus nocet.

Sub ipsa Ecclesiae incunabula Christiani nullo jure scripto regebantur. Christus enim neque leges scripsit, neque novum sancitum foedus in scripturam redigi umquam jussit. Tum Apostoli orationi, et verbi praedicationi incubantes nihil scripto tradiderunt. Longo autem a Christi resurrectione elapso intervallo, certis peculiaribus ex causis factum est, ut Evangelia scriberentur.

(1) *L. 1. ff. de Orig. Jur.*

Qui Apostolos excepere Episcopi et Evangelicis praeceptis, et Apostolica traditione Ecclesiam gubernarunt; ut proinde ab initio verbo potius, et exemplo Christiani instituerentur, quam lege certa. Si quando autem controversiae inter fideles suborirentur, Episcopi in unum conveniebant, litesque definire statim satagebant; qua quidem in re Apostoli ipsos praeiverunt (1). Quamvis vero altero, et tertio Ecclesiae seculo plura habita sint Concilia vel pro fide adversus haereticos propugnanda, vel ad disciplinam instituendam, aut reparandam; ex iis tamen nihil superest, nisi aut nomen, aut aliquod vetustatis fragmentum.

Ubi Constantinus pacem Ecclesiae dedit, facilius Episcopis fuit, concilia celebrare, regulasque seu fidei, seu morum, seu disciplinae procudere, queis vel singulae, vel omnes Ecclesiae uterentur. Quarto itaque ineunte seculo pleraque Concilia habita sunt qua particularia, qua generalia, ab iisque plerique conditi canones. Qui deinceps in unum convenere Episcopi, regulas Ecclesiasticas efformarunt; ex quo factum, ut canonum ampla seges oborta sit. Ipsis itaque colligendis operam quamplurimi collocarunt suam: quibus sane collectionibus Ecclesia primis seculis usa est, ut certum jus ab incerto secerneret, atque Christiani ad easdem regulas mores suos conformarent. E re igitur putamus, varias canonum collectiones qua Orientales, qua Occidentales exhibere, ut, primorum, ac posteriorum temporum regulis inspectis, Juris Canonici origines, variaeque vices facilius intelligantur.

(1) *Actor. 1. 2. et* VI. *3.*

CAPUT I.

DE ORIENTALIBUS CANONUM COLLECTIONIBUS.

Quo res ordine procedat, collectiones omnes in duas species dividemus, in collectiones scilicet Ecclesiae Orientalis, et Occidentalis. A collectionibus Ecclesiae Orientalis sermonem auspicabimur, tum quia fides ab Oriente ad Occidentem manavit; tum quia Concilia prima et nobilissima in Oriente fuerunt celebrata. Hoc autem in opere, quia brevitati studere in animum induximus, collectiones omnes non percurremus; sed praecipuas tantum memorabimus, earumque Originem, Methodum, et Auctoritatem investigabimus.

Antiquissima canonum Orientalium collectio complectitur canones duorum generalium Conciliorum Nicaeni I., et Constantinopolitani I. quinque vero particularium synodorum, nimirum Ancyranae, Neocaesareensis, Gangrensis, Antiochenae, et Laodicenae. Quis fuerit hujus collectionis auctor, prorsus ignoratur. Ea autem fortasse prodiit imperante Theodosio M. Desinit enim in canonibus Concilii Costantinopolitani I.; ut proinde Concilii Ephesini aetatem praecesserit.

Collectionis methodus duplex. Primum ordo temporis servatur, quo quaeque synodus habita est, praerogativa tantum Nicaenae synodo data, ut antiquioribus praeponeretur. Deinde continua serie canones recensentur, et sub eadem consequentia numerorum. Id aperte patet ex Dionysio Exiguo (1), atque ex Actione IV. et XI. Concilii Chalcedonensis. Hoc autem summa cautione factum putaverim, ne quis per fraudem falsos, et supposititios canones subjiceret.

(1) *Epist. praefixa versioni Graec. Collect.*

Hujusmodi Collectio maximae fuit auctoritatis apud veteres, potissimum in judiciis Ecclesiasticis. Sane ea utuntur Patres Chalcedonenses, qui in Actione IV. proferunt canones 4. et 5. Antiochenos, in Actione XI. citant ejusdem Concilii canones 16. et 17. Illud vero est animadvertendum, eos canones a Chalcedonensibus Patribus proferri, suppresso nomine Concilii Antiocheni, et sub eo numero, quo in eo Codice erant digesti. Quare Canon 4. et 5. Concilii Antiocheni in Actione IV. recitatur uti octogesimus tertius, et octogesimus quartus; et canon 16. et 17. ejusdem Concilii recitatur, uti nonagesimus quintus, et nonagesimus sextus. Ex hoc apparet, eam Collectionem plurimi in Ecclesia universa factam, cum in litibus dijudicandis in usu fuerit frequentissimo. Licet autem non omnes ejus Collectionis canones essent ejusdem Concilii, aliique ex oecumenicis prodierint, alii ex particularibus; illud tamen certum est, omnes canones ejusdem fuisse auctoritatis sine ullo discrimine. Idem profecto canonibus particularium synodorum contigit, quod Prudentum responsis in Pandectas relatis contigisse novimus: ea enim perinde habentur, ac si imperiali ore essent dictata, quippe quae a Justiniano firmitatem suam acceperunt. Eodem sane pacto nihil discriminis statuere licet inter canones in vetustissima illa Collectione recensitos, quippe qui uno ordine a Conciliis generalibus fuerunt confirmati. Ceterum cum in ea Collectione canones Sardicenses, Arelatenses in causa Donati, Eliberitani, aliique fuerint omissi, facile quisque intelligit, perperam a Christophoro Justello eam Collectionem inscribi — *Codex Canonum Ecclesiae Universae;* cum potius appellari debuisset — *Codex Canonum Ecclesiae Orientalis.*

Altera, quae in Oriente prodiit Collectio sub nomine *Synagoges*, Theodoreti Cyri Episcopi nomen

praefert. Ea ex iisdem cauonibus coalescit, quibus Codex Ecclesiae Orientalis. Iis tamen adjunxit Theodoretus canones LXXXV. Apostolorum (1), et canones XXI. Sardicenses, quos praeposuit Antiochenis, licet tempore posteriores. Addidit praeterea quatuor canones ex synodo CPolitana, Ephesinos septem, et Chalcedonenses viginti septem. Iis adjunxit ex duabus epistolis Basilii canones viginti septem. De tempore collectionis ex ipso auctore satis liquet. Ea enim post Concilium Chalcedonense lucem aspexit, cui sane Concilio ipse Theodoretus interfuit, ab eoque suae dignitati fuit restitutus.

In ea collectione Auctor canones integros non refert, nec ordinem temporum, vel seriem numerorum observat; sed titulis quinquaginta jus omne canonicum comprehendit ea ratione, ut similes canones sub uno eodemque titulo conjungat, licet in diversis synodis editos. Canones vero non verbatim describit, sed eorum sententiam tantum proponit: quam sane rationem Photius deinde secutus est in Nomocanone.

Huic collectioni a Joanne Scholastico Patriarcha CPolitano ex legibus, quae canonibus similes erant, singulis titulis excerpta quaedam fuerunt adjuncta. Floruit Scholasticus sub Justiniano, postremus quatuor Patriarcharum, qui sub eodem Imperatore fuerunt, ex ordine Advocatorum in ordinem Ecclesiasticum adlectus, ex quo *Scholastici* nomen retinuit. Origo itaque Collectionum, quae postea Nomocano-

(1) *Canones, qui dicuntur* Apostolorum, *licet ab Apostolis non fuerint procusi, uti fusius demonstrarunt viri docti, continent tamen disciplinam per priora Ecclesiae saecula in diversis synodis diverso tempore constitutam. Id ex eorum lectione facile patet. Ii porro summa reverentia a veteribus fuerunt observati, et ab ipsis Conciliis generalibus passim allegati, uti apparet ex can. 5. 9. 10. et 15. Nicaenis.*

nes dici coeperunt, Scholastico debetur. Hujusmodi autem opus privata auctoritate elaboratum in judiciis usu non fuit receptum.

Verum, procedente tempore, Photius Patriarcha CPolitanus Nomocanonem edidit. Is vixit Hadriano II. et Nicolao I. Romanis Pontificibus, quibuscum ei graves inimicitiae fuerunt, Basilio Macedone in Oriente, et Carolo Calvo in Occidente imperantibus. Methodum in Nomocanone Photius secutus est, quam Theodoretus antea servaverat. Opus itaque in quatuordecim *titulos* divisit, unumquemque titulum in capita partitus. Singulis autem canonibus excerpta ex legibus adnotavit, quae iis cohaererent, usus libris Basilicorum. Juris enim civilis longe peritissimus fuit, et ex Senatore Patriarcha factus. Photiani Nomocanonis autoritas tanta fuit, ut Graecorum Collectionibus reliquis praeponeretur, quia totius canonicae scientiae elementa continebat.

Jussu Emmanuelis Comneni Imperatoris, et Anchiali Patriarchae CPolitani Nomocanonem Photii summa industria interpretatus est Balsamo tabulario CPolitanae Ecclesiae Praefectus, postea a Graecis nomine tenus electus Patriarcha Antiochenus circa an. 1170. Is tamen plurima ad usum sui temporis accommodavit. Multae enim leges, ut ipse ait, quae aetate Photii obtinebant, longo illo temporis intervallo fuerant abrogatae; quemadmodum et in jure Canonico nonnulla postremis synodis innovata.

Plures post Photium Scriptores collectionibus canonum operam dederunt. Inter eos eminent Constantinus Harmenopulus, cujus collectio extat initio Juris Orientalis; Theodorus Abbas et Philosophus; Simeon Logotheta, Aristenus, Arsenius; Matthaeus Blastares, aliique: sed hos nominasse sufficiat. Illud tantum advertendum censeo, ab hujusmodi posterioris aevi Graecis Scriptoribus valde cavendum.

Cum enim schismati Graecorum adhaereant, et Romanae Ecclesiae sint infensi, multa in rem suam detorquent, et pleraque falsa proferunt, uti in VI. Synodi nonnullis canonibus, et in aliquot canonibus Synodi VIII. in causa Photii licet deprehendere.

CAP. II.

DE COLLECTIONIBUS CANONUM OCCIDENTALIBUS.

Enarratis Orientalibus collectionibus, ad Occidentales collectiones progrediamur. In iis enumerandis non omnes recensebimus, sed celebriores tantum exponemus, origine, methodo, et auctoritate cujusque proposita. Totius hujusce operis finis et scopus est, ut referamus fontes, unde Gratianus suam hausit Canonum Concordiam, et Raymundus Gregorianam confecit Decretalium collectionem.

Inter Occidentales canonum collectiones primum locum obtinet Prisca Conciliorum translatio, quae etiam hodie exstat, et apud omnes Occidentis Ecclesias in usu fuit receptissimo. Expressa ea quidem fuit ad exemplar antiquissimae Collectionis Graecorum: in utraque enim iidem canones continentur, iidemque desiderantur. Praeterea in antiquioribus Occidentalibus Conciliis ex illa interpretatione canones allegantur. Quin et Ferrandus Carthaginiensis Latinorum Collectorum, qui extant, antiquissimus perpetuo illam sequitur; et Dionysius Exiguus in praefatione suae novae interpretationis canonum, se *offensum*, ait, *priscae translationis confusione*.

Ex ea interpretatione Fulgentius Ferrandus Carthaginiensis Ecclesiae Diaconus *Breviationem canonum* elucubravit. Ipse floruit sub Justiniano, et Justino, uti ex Victoris Tununensis Episcopi Chronico colligitur. In ea Breviatione Ferrandus, pluribus

canonibus ex diversis Conciliis in unum collatis, quibus eadem de re agitur, brevem titulum, et summam proponit, atque jus omne Canonicum, paucis exceptis, ad personas revocat. Non tantum ex prisca illa canonum interpretatione confecta est Ferrandi Breviatio; sed etiam ex variis Africae Conciliis, quorum pleraque alibi non reperiuntur. Quapropter doctis tantum eum scripsisse, ait Cresconius etiam Africanus. In eo opere nullas Rom. Pontificum epistolas adjecit praeter unicam *Siricii in concilio Cellensi*, quam fortasse ad Episcopos in eo Concilio convocatos scripserat Pontifex. In reliquis antiquissimam sequitur versionem. Itaque neque Ephesinos, neque Chalcedonenses canones retulit, qui in vetustissimis collectionibus qua Graecis, qua Latinis deerant. Sardicenses vero canones recensuit, illos praesertim, de quibus recipiendis plurimum concertatum inter Romanos Pontifices Zosimum, Bonifacium, Caelestinum, et Aurelium Chartaginensem, ceterosque Africanos Patres.

Jam vero Dionysius Exiguus natione Scytha, qui, imperante Justiniano, vixit (1) *confusione priscae translationis incitatus digessit iterum, et de Graeco transtulit*, ut ipse ait in Epistola ad Stephanum Episcopum Salonitanum, canones, qui in antiquissima Graecorum Collectione continebantur usque ad Concilium CPolitanum I. Ex hoc autem Concilio tres tantum canones refert, *sicut in Graeca auctoritate* legebantur. Deinde ita habet: *Tum sancti Chalcedonensis Concilii decreta subdentes, in his Graecorum canonum finem esse declaramus* (2). Quod

(1) *Id colligitur ex ejusdem epistola Paschali ad Petronium Episcopum edita in Appendice operis*, de Doctrina temporum, *et ex alia ejusdem epistola ad Julianum presbyterum tituli S. Anastasiae, quam* Collectioni Decretalium *Rom. Pontificum praemisit, quamque ex MSto Codice erutam Cl. Sirmondus in lucem emisit.*

(2) *In ead. epist. ad Episc. Salonitanum.*

autem mirari subit, Dionysius Concilium Ephesinum Oecumenicum omisit, licet ante Chalcedonense fuerit celebratum. Subjicit vero canones Sardicenses atque Africanos, quos Latine editos profitetur; ut proinde Dionysianus Codex partim ex Orientalibus, partim ex Occidentalibus Conciliis coaluerit. In canonibus porro Orientalibus recensendis eamdem servavit methodum Dionysius, quam in antiquissima Graecorum collectione deprehenderat, seriem scilicet, ac consequentiam numerorum.

Jam vero quo Ecclesiasticae disciplinae omni ex parte consulere Dionysius videretur, post canones Conciliorum editos, Romanorum Pontificum epistolis colligendis primus omnium operam suam collocavit. Opus a Siricio auspicatus ad Anastasium II. perduxit (*a*). Quae vero decretales deinde accesserunt, Hormisdae, Gregorii junioris, et reliquorum Pontificum, ab aliena manu fuerunt adjectae. Ii enim pluribus post Dionysium annis vixerunt.

Dionysii opus privata auctoritate elaboratum *uso celeberrimo Ecclesiam Romanam* excepisse, testatur Cassiodorus ejus aequalis (1); quod *corpus canonum* (2) absolute fuit appellatum, eoque nomine profertur a Burchardo, Ivone, Gratiano, ceterisque posterioribus canonum collectoribus (3).

Collectionis Dionysianae paucis post annis accuratam methodum adornavit Cresconius Episcopus Africanus Fulgentium Ferrandum imitatus. Ipse autem operi suo hanc adlevit epigraphen: *Hic habetur con-*

(a) *Codex iste epistolarum Rom. Pontificum, et Regula Pastoralis Gregorii junioris, qui post Dionysium floruit, Episcopis in ordinatione a Metropolitano tradi solet.*

(1) *Cassiod. lib.* de Divin. Lection.

(2) *Can. 1. Dist. XIX.*

(3) *Videsis Ant. Augustinum in libello posthumo* de Collectoribus Canonum *cap. 21.*

cordia canonum conciliorum infrascriptorum, *et Praesulum Romanorum*. Tum Concilia memorat, e quibus canones decerpsit. In eo tantum a Dionysio discrepat Cresconius, quod diversa ratione adscribat numeros canonum Carthaginiensium (1).

Jam vero postquam Cresconius suam *canonum Concordiam* Africanis elucubravit, Martinus natione Pannonius ex Abbate Dumiensi Bracharensis Metropolitanus renunciatus Hispanis consultum ivit. Itaque circa annum 570. *Capitula Orientalium Canonum* conscripsit. In ea collectione adornanda aliam a ceteris Scriptoribus inivit viam. Nimirum integra canonum verba non protulit, sed ea ut plurimum immutavit, aut interpolavit, non adscripto, unde, vel ex quo Concilio canonem desumserit. Ea Capitula coalescunt ex canonibus, qui habebantur in veteri Codice Ecclesiae Orientalis, paucis tantum adjectis ex Conciliis Hispanis, atque Africanis. Opus universum dividit Martinus in duas partes, in quarum altera eos discerpsit canones, qui de Episcopis, et Clericis pertractant; in altera vero eos consarcinat, qui de laicis loquuntur. Quidquid autem hujusce Collectionis sit, illud certum est, eam maximo in pretio apud Hispanos fuisse (*a*).

Jam ad Collectionem Isidori seu *Peccatoris*, seu *Mercatoris* devenimus (*b*), quae immensas in Eccle-

(1) *Vid. Bibliothec. Jur. Canonici tom. 1. Praefat. ad Lector.*

(a) *Gratianus plurima ex Martino retulit sub nomine* Martini Papae in Concilio. *quasi fuerit Pontifex Romanus. Quin saepiuscule integros canones inserit, et deinde eorumdem canonum excerpta ex Martino refert: quod et Ant. Augustinus, et Correctores Romani ante nos jamdiu animadverterunt.*

(b) *Petrus de Marca in C. S. et I. lib. 3. cap. 5. putavit, hunc Isidorum* Peccatorem *dictum ex more tunc temporis recepto, quo Episcopi se se* peccatores *animi demissione appellabant. Verum Ant. Augustinus lib. 1. de Emendat. Gratian. auctor est, apud Iconem in Pannormia Isidorum nuncupari* Mercatorem.

sia, atque inter eruditos turbas excitavit. De collectionis auctore nihil ausim pronunciare. Sunt, qui criminis arcessunt Isidorum Hispalensem. Sed tanti viri nomini parcet, quisquis ejus integritatem, et penitioris doctrinae penus inspiciet. Alii collectionis auctorem Isidorum Setubensem proclamant, innixi auctoritate cujusdam Chronici, cujus sublestam fidem viri docti jamdiu agnoverunt. David Blondellus Calvinista (1) hujus inauspicati partus initia repetit ex Germania, eique plurimum obstetricasse putat Riculphum Episcopum Moguntinum, et Benedictum Levitam. Id quibus argumentis conficiat, non vacat expendere.

Quidquid autem de collectionis auctore sit, certo constat, ubi primum in Galliam collectio venit, ab Hincmaro Rhemensi fraudem fuisse detectam. Cum enim lite certaret cum Hincmaro Laudunensi, qui veritus judicium synodi provincialis ad Romanam Sedem appellaverat tutus auctoritate pseudo-Isidori, Rhemensis Metropolitanus decretales Isidorianas rejecit ea parte, qua antiquos canones, et sanctiorem disciplinam oppugnatum ibant. Illud porro extra omnem dubitationem positum est, Romanos Pontifices serius monstrosam hanc collectionem cognovisse. Sane Joannes IV. ad consulta Episcoporum Britanniae epistolas decessorum suorum accurate recenset, nullamque ex iis memorat, quas pseudo-Isidorus confinxit (2).

Ceterum in eam collectionem maleferiatus Auctor conjecit 99. epistolas decretales, quarum triginta tres Pontificibus ante-Siricianis appinxit, reliquas vero inter genuinas posteriorum Pontificum epistolas dispersit. His adjecit Acta Concilii Romani sub Julio I.,

(1) *In Libello* — Pseudo-Isidorus, et Turrianus vapulantes.
(2) *Apud Sirmond. tom. 9. Concilior. Gall.*

et Concilii V. ac VI. sub Symmacho, et nescio quae excerpta synodi sub Silvestro. Integram Isidorianae collectionis seriem describit Carolus Blaschus (1).

Jam vero putida Mercatoris merces pedetentim totum occidentem pervasit: atque adeo Isidori nomen apud omnes increbuit, ut nemo, qui deinceps canonum collectionibus operam navavit, ex illo fonte aquam non hauserit. Primus Angilramnus, *quando pro sui causa agebatur*, hoc novo jure usus est. Ipse quidem Capitula quaedam procudit, quae sub nomine Hadriani Papae circumferuntur. Rem apprime demonstravit Balutius ex inscriptione veteris codicis Bibliothecae S. Victoris Parisiensis (a). Huc illud accedit, quod Hadrianus Carolo M. Dionysianam Collectionem dono dedit, plura fortasse daturus, vel aliquid in eam adjecturus, si *Capitulorum*, quae sub ejus nomine circumferuntur, auctor fuisset.

Sub eadem tempora Regino Abbas Prumiensis, qui inde expulsus in monasterium S. Maximini Trevirensis se recepit, rogante Rathbodo Episcopo Trevirensi, anno fortasse 906. opus adornavit *de Ecclesiastica Disciplina, et Religione Christiana.* Eo congessit canones Conciliorum Generalium, sententias Patrum, et Pontificum decreta. Nonnulla quoque ex Mercatore desumpsit. Quin et leges profert ex Capitularibus Regum Francorum, necnon ex Codice Theodosiano secundum Aniani interpolationem.

Post Reginonem Burchardus Episcopus Wormatiensis ***Magnum Decretorum Volumen*** concinnavit circa annum 1020., quod postea ***Decretum*** fuit appellatum. Multa ex Regione hausit, cujus erroribus

(1) *Libell. de Collect. Isid. Mercator.*

(a) Codex ita inscribitur — *Incipiunt Capitula collecta ex diversis Conciliis, sive decretis Pontificum Romanorum ab Angilramno Metensi Episcopo, et Adriano Papae oblata.*

et suos adjecit: nonnulla ex Isidoro mutuatus est, et ex Capitularibus Regum Francorum (*a*). Illud porro advertere juvabit, Burchardum apud Decretalium Collectores interdum *Brochardum* appellari, ejusque opus *Brochardicorum* nomine aliquando jactitari.

Postremo Ivo Carnotensis Episcopus primum *Pannomiam*, seu *Pannormiam* scripsit divisam in partes octo; deinde *Decretum* composuit, quod in partes decem et septem distribuit. Utrumque opus unam habet praefationem. Id nonnullis viris doctis fucum fecit, qui putaverunt, Pannormiam non esse Ivonis opus, sed alterius incerti Scriptoris, qui Decretum in compendium redegit. Ceterum vir istarum rerum longe peritissimus Ant. Augustinus luculentissime demonstravit; Pannormiam non esse epitomen Decretorum Ivonis, cum pauca admodum sint, in quibus hae collectiones inter se conveniant. Ivonis autem collectiones ex suspectis illis primorum Pontificum epistolis Isidorianis plurimum auctae sunt et amplificatae. Quin et plurima accesserunt ex Patrum sententiis. Postremo in Ivonis collectione ex Pandectis, Codice, et Novellis Justinianeis excerpta non pauca desumuntur. Quare, quod Joannes Patriarcha sub Justiniano primus in Oriente tentavit, in Occidente Ivo aggressus est, nempe ut jus civile cum canonico conjungeretur.

Jam vero ex hisce posterioribus canonum collectionibus Gratianus Monachus Benedictinus Clusii in Etruria natus *Concordiam canonum discordantium* conscripsit sub an. 11[illegible]0. quae deinde *Decreti* nomine fuit appellata. Universum opus in tres sum-

(a) *In libro de Gestis Abbatum Gemblacensium habetur*, Burchardum Olberto Abbate Gemblacensi (*cujus fuerat auditor*) dictante, et magistrante, magnum illud canonum volumen centonizasse. *Id testatur etiam Sigebertus in Chronico ad an. 1008.*

mas partes divisit. Prima parte 101. Distinctionibus distributa de Personis pertractat. Altera parte de Judiciis agit, eamque per Causas XXXVI. percurrit, et unamquamque Causam Quaestionibus expendit. In Quaestione porro tertia Causae XXXIII. a proposito tractatu *de Matrimonio* desultat, ac Tractatum interserit *de Poenitentia*. Tertia parte Gratianus per Distinctiones agit *de Consecratione*.

Gratianeum opus coalescit ex canonibus Conciliorum, Pontificum decretalibus, Patrum, Scriptorumque Ecclesiasticorum sententiis, atque ipsius Gratiani verbis, quibus discordantes canones componit (*a*). In hisce fragmentis describendis quantum peccaverit, dici vix potest. Illud tantum adverti velim, eum non ex autographis, sed ex Mercatoris, Burchardi, Ivonis, et aliorum lacunis rem omnem exhausisse. Quapropter pleraque supposititia retulit; vera monumenta nec recte proposuit, nec suis auctoribus adscripsit; saepius in nominibus hominum, urbium, provinciarum, conciliorum erravit; plurima ipsemet interpolavit, mutilavit, corrupit. Haec omnia in causa sunt, ut ejus opus indigesta apocryphorum, et corruptorum monumentorum moles a plerisque habeatur.

Gratiani rhapsodia privato studio consarcinata numquam auctoritatem publicam praesetulit. Et falsum omnino est, quod Trithemius (1) memoriae prodidit, collectionem Gratianeam Eugenio III. oblatam fuisse, ab eoque confirmatam. Quapropter canones, qui a Gratiano afferuntur, non omnes eamdem vim

(a) *Inter fragmenta a Gratiano consarcinata quibusdam* Paleae *nomen inscribitur. Nonnulli putarunt, hujusmodi fragmentis res vel leves, vel antiquatas, vel repetitas contineri. Cum vero res graves, nec antiquatae iis pertractentur, fortasse ab auctore incerto obscuri nominis fragmenta isthaec ad marginem adscripta in textum Gratiani postea fuerunt conjecta.*

(1) *Trithem. in vit. Gratian.*

habent. Alio enim jure censentur, quae ex Conciliis deprompta sunt, alio quae ex Pontificum constitutionibus, alio denique, quae ex dictis Patrum fuerunt derivata. Ad rem Ant. Augustinus in epistola, quam Canonibus poenitentialibus praefixit: *Est etiam delectus habendus, et ratio auctoritatis constituentium; in quo video multos juris Pontificii studiosos vehementer decipi, qui Gratiani collectionem parem vim cum Gregoriana habere putant; cum tamen Gregorius IX. Pontificia auctoritate usus omnibus in eo volumine Decretalium contentis vim legis statuerit; Gratianus unius magistri et monachi personam gerens ea, quae refert, non majori pollere potuit efficere auctoritate, quam antea fuerant. Itaque necesse est, adire fontes, unde emanarunt, ut certa ab incertis distinguamus.*

Jam vero Gratiani opus emendare studuit Antonius Demochares Parisiensis Theologus, et Antonius Contius JCtus. Tum Rom. Pontifices Pius IV., Pius V., et Gregorius XIII. accuratiorem Gratiani emendationem selectissimis viris, qui *Correctores Romani* vulgo dicuntur, demandarunt. Sub eadem ferme tempora eamdem spartam exornandam suscepit Ant. Augustinus Archiepiscopus Tarraconensis. Sed post tot, tantosque correctores adhuc Gratianus mendis foedatus apparebat. In id itaque opus operam collocavit suam Stephanus Balutius, qui Antonii Augustini dialogos adnotationibus ditavit, Espenius, et novissime omnium Sebastianus Berardus (*a*).

(a) *Gratianei Glossatores fuerunt Laurentius Cremensis; Vincentius Castellioneus, seu Hispanus, seu Mediolanensis; Tancredus a Corneto, qui docuit Bononiae primum, ac deinde Parisiis; Ioannes Semeca, qui primum inter Dominicanos vixit, deinde Praepositus S. Stephani in Saxonia fuit renunciatus; Bartholomaeus Brixiensis Castellionei discipulus; Hugo, sive Hugutio Vercellensis, qui Vercellis docuit, inde Episcopus Ferrariensis factus.*

Porro ex Gratianea farragine jus novum emersit. Et quidem judiciaria potestas Synodorum provincialium, beneficiorum ab ordinatione discretio, matrimonii impedimenta adaucta, publice poenitentium rigor remissus, exemtiones Monachis, et Cathedralium Capitulis passim indultae, et alia hujusmodi amplissima fuerunt Decretalium Romanorum Pontificum seges. Iis itaque colligendis plerique operam dederunt, quos paucis recensebimus.

Primus omnium Bernardus Circa Praepositus Papiensis Pontificum decretales collegit. Opus inscripsit = *Breviarium extravagantium*; quia extra Decretum Gratiani hujusmodi constitutiones vagabantur.

Altera Collectio ter a tribus confecta est Gilberto, Alano, et Joanne Vallensi. Praevaluit tamen ea, quam ex duabus prioribus Vallensis composuit. Isthaec collectio duodecim post primam annis prodiit. In ea admiscentur nonnulla ex Conciliis, et Patribus, sicut et in prima collectione. Continet autem constitutiones Alexandri III. et sequentium Pontificum, potissimum vero Caelestini III.

Tertiam Decretalium collectionem ex Regestis Innocentii III. adornaverat Bernardus Compostellanus: sed ea recepta non fuit. Ipse porro Innocentius aliam collectionem, quae vocatur *Tertia*, fieri jussit, quam publica firmavit auctoritate. In ea conficienda usus est opera Petri Diaconi Beneventani notarii sui.

Sed et idem Pontifex ex canonibus Concilii Lateranensis IV., et ex suis decretalibus post annum Pontificatus XII. editis, quartam collectionem scribi curavit. Cujus opera ea in collectione fuerit usus, non liquet. Tertia itaque, et quarta collectio unius Innocentii constitutiones continent.

Quinta denique Collectio prodiit auctoritate Honorii III., ejusque constitutiones tantum complectitur. Quatuor priores collectiones editae sunt ab An-

tonio Augustino; quinta ab Innocentio Cironio (*a*).

Ex constitutionibus, quae in memoratis quinque Collectionibus continebantur, atque ex aliis, quae a Collectoribus fuerunt omissae, quaeque deinceps prodierunt, Gregorius IX. opera usus Raymundi a Pennaforti Ordinis Praedicatorum, Poenitentiarii et Cappellani sui novum Decretalium Codicem composuit, quem a suo nomine inscripsit = *Decretalium Gregorii IX. Papae Compilatio.* In hac nova Decretalium collectione Raymundus, qui *superflua* tantum se detruncasse ait, interdum utilia multa resecuit, et plerasque constitutiones praetermisit. Quin et plurima de suo addidit, et unam eamdemque constitutionem in duas, tresve divisit, easque veluti discerptas Absyrthi partes sub diversis titulis collocavit (*b*). Quapropter accuratus interpres ad fontes ipsos adire cogitur (*c*).

Gregorianae Collectioni in quinque libros distributae suam addidit Bonifacius VIII. an. 1300, quam propterea *Sextum* librum Decretalium noncupavit. In hanc Collectionem conjectae sunt tam ipsius Gregorii IX. (*d*) constitutiones, quam aliorum sequen-

(a) *Ostiensis in* Summa *Decretalium numerat octo collectiones, quae Gregorianam praecesserunt, scilicet Gilberti, Alani, et Bernardi Compostellani collectiones, quae numquam obtinuerunt, quinque reliquis addidit.*

(b) *Raymundus initia, et prima verba singulorum capitum retinuit, et plurima de medio sustulit, plerumque totam capitis speciem resecuit. Id constitutionibus intelligendis veluti nubem offudit, quam non dissipabimus, nisi ad fontes, et veteres collectiones adhibimus. Porro pars illa resecta vulgo citatur sub nomine* partis decisae.

(c) *Gregorianae Collectionis glossas adscripsere Richardus Anglicus, Rodoicus Bertrandus, Petrus de Villaco Hispanus, Guilelmus Naso, Iacobus de Alberga Episcopus Faventinus, Philippus Sampso, Bernardus Compostellanus, Aegidius Bononiensis, Franciscus Vercellensis, Boatinus Mantuanus, Archidiaconus, aliique.*

(d) *De extravagantibus Gregorii IX. vid. Cujac. ad cap. penult. et ult.* de Testibus.

tium Pontificum. Praevalent vero decretales Innocentii IV. et Gregorii X., sub quorum Pontificatu habita sunt duo Concilia Lugdunensia, et ipsius Bonifacii constitutiones (*a*). Hujusmodi Collectio in Gallia non fuit recepta ob graves inimicitias, quae inter Bonifacium ipsum, et Philippum Pulchrum exarserunt.

Jam vero Clemens V. ex constitutionibus suis, et ex canonibus Concilii Viennensis habiti an. 1312. Collectionem adornari curaverat, cui *Septimi libri Decretalium* nomen facere decreverat. Hujusmodi collectionem in Castro Montilis in concistorio promulgavit Pontifex an. 1312. Eam tamen publica auctoritate donatam publici juris fecit Joannes XXII. an. 1317. sub nomine *Clementinarum*. De iis legendus Glossographus Joannes Andreas, qui plurima dabit non poenitenda.

Sed et ipse Joannes XXII. qui Clementinas promulgavit, multas scripsit constitutiones. Earum XX. ab incerto auctore collectae prodierunt sub titulo *Extravagantium Joannis XXII.* Codex iste ob parvum decretalium numerum in libros non fuit tributus, sed in titulos XIV., servato ordine praecedentium Collectionum.

Temporis lapsu privata itidem auctoritate prodiit Collectio *Extravagantium Communium*. In eam scilicet conjectae sunt et decretales Joannis XXII. quae in Joannitarum Extravagantium collectionem non fuerunt collatae, et constitutiones multorum Pontificum a Bonifacio VIII. ad Sixtum IV. qui an. 1471. Pontifex fuit renunciatus. Quemadmodum Joannis XXII. Extravagantes, ita et Communes vim et ro-

(a) *Ante Bonifacium VIII. Innocentius IV. decretalium collectionem edidit, in quam suos commentarios scripsit Ostiensis. Ea dicta fuit* Extravangantes *Innocentii IV., cujus omnes decretales in Sextum Bonifacius conjecit.*

bur in judiciis obtinuerunt, licet privata auctoritate collectae.

Porro memoratae Pontificiae Constitutiones jus commune Ecclesiasticum per totum ferme Occidentem continent. Iis Ecclesiastica politia regitur. Sane Gregorius IX. Bonifacius VIII. et Joannes XXII. collectiones, quas modo memoravimus, Pontificia auctoritate promulgarunt, easque et in scholis praelegi, et in foro valere voluerunt. Quin ipsis Extravagantibus Communibus, quibus origine sua defuit auctoritas, usu deinde accessit. Apud nos Decretales Romanorum Pontificum memoratis quinque collectionibus comprehensae passim et in scholis, et in foro fuerunt receptae.

CAPUT III.

DE JURE NOVISSIMO.

Juris novissimi, quod scilicet post evulgatos Decretalium Codices fuit constitutum, quatuor species enumerari possunt, *Decretales Pontificum*, *Canones Conciliorum*, *Regulae Cancellariae*, *et inter Reges*, *ac Pontifices Concordata.*

Post evulgatas decretalium collectiones, qui secuti sunt Pontifices novas constitutiones scripserunt. Ipsae *Bullae* fuerunt appellatae ab aureo, seu plumbeo sigillo, quod ipsis suspendi solet, prout vel justitiae sunt, vel gratiae. Adeo autem Bullarum copia excrevit, ut numero vincant ipsas decretales quinque codicibus contentas.

Inter canones, qui collapsam disciplinam restaurarunt, post Basileenses, et Constantienses, prin-

cipem locum obtinent Tridentini. Sane Martinus Lutherus, qui Ecclesiam miseris modis dilaceravit, Catholicos excivit, ut ad S. Scripturae, et antiquitatum ecclesiasticarum studia converterentur, atque antiquam Ecclesiae disciplinam labefactatam repararent. In eo rerum statu a Paulo III. Concilium Tridentinum convocatur, quod sub Julio III. continuatum, sub Pio IV. fuit absolutum. In iis oecumenicis Catholicae Ecclesiae comitiis et fides contra Lutheranos firmata, et plures canones constituti ad mores, et disciplinam collapsam reparandam. Licet autem pleraque Concilii Tridentini decreta ad disciplinam restaurandam spectent, eorum tamen nonnulla apud nos non fuerunt recepta.

Jam vero per regulas Cancellariae jus novissimum maximis auctum est incrementis. Hujusmodi regulas primus excudisse perhibetur Joannes XXII. Eae initio normam Officialibus Cancellariae praebuerunt, qua in rebus beneficiariis litteras expedirent. Qui secuti sunt Pontifices, Cancellariae regulas auxerunt, donec Nicolaus V. ad eum statum eas redegit, quo in praesens habentur; et successores Pontifices qua mutationibus, qua additionibus ad septuaginta duas regulas perduxerunt. Hujusmodi regulae a quolibet Pontifice altero ab sua electione die solent confirmari, quippe quae cujusque Pontificis morte extinguuntur. Ceterum Romanae Cancellariae regulae vim legum ex receptis moribus obtinuerunt.

Postremo ad jus novissimum pertinent Principes inter et Pontifices pacta conventa, quae vulgo Concordata dicuntur. Sane ut externa mittamus, apud nos primum Concordatum occurrit inter Guilelmum Regem, et Hadrianum IV. an. 1156. (1). Praeterea quaedam inita sunt pacta inter Clementem IV, et

(1) *Baron. Annal. ad an. 1156.*

Carolum I. Andegavensem, quae habentur in Bulla investiturae Regni utriusque Siciliae data an. 1265 (1). Tum an. 1486. Innocentius VIII. cum Ferdinando Rege pactus est, ut Episcopatus omnes, et Beneficia Regni Neap. a Pontifice conferrentur pro lubito (2). At Clemens VIII. pactis cum Carolo V. conventis, Regibus Neapolitanis dedit nominationem XXV. Cathedralium Ecclesiarum, octo scil. Metropoliticarum, et septemdecim Episcopalium, reliquis omnibus Sedis Apostolicae collationi reservatis. Pactis autem conventis an. 1741. inter Carolum Borbonium olim utriusque Siciliae Regem, et Benedictum XIV. pleraque ad Ecclesiasticam disciplinam pertinentia constituta sunt novem capitibus distributa. Ea huc revocantur 1. De reali immunitate, 2. de immunitate locali, 3. de immunitate personali, 4. de Ordinandorum requisitis, 5. de administratione estauritarum, aliorumque locorum piorum, 6. de causis fori Ecclesiastici, 7. de librorum exterorum introductione, 8. de Beneficiis, et pensionibus, 9. de Tribunali Mixto. His addi possunt sex articuli secreto constituti = de privilegiis Beneventanorum = de Regio Placito = de Recursu ad Principem = de pensionibus = de unione, ac suppressione Cathedralium, Ecclesiarumque nullius Dioecesis. Non omittenda denique Conventio anno 1818 inita inter Pium VII. Summum Pontificem, et Ferdinandum I. Regni utriusque Siciliae Regem, qua perturbatis Ecclesiae rebus fuit consultum. Ea triginta quinque articulis absolvitur, et versatur circa Episcoporum nominationem, eorumque in visitationibus dioecesanis peragendis, in synodis Episcopalibus convocandis,

(1) *Raynald. Annal. Ecclesiast. ad an. 1265.*
(2) *Id. ad ann. 1486.*

in peregrinatione ad Apostolorum limina, in Pastoralis muneris secundum canones exercitio libertatem, collationem beneficiorum, pensiones Ecclesiasticas, bona Ecclesiae, Regii Delegati Ecclesiasticae jurisdictionis, Montisque Frumentarii suppressionem, patrimonii Regularis, bonorumque Ecclesiarum vacantium administrationem, atque alia hujusmodi. Singula hujusce Conventionis capita suo quaeque loco memorabimus. Atque haec raptim praelibasse sufficiat.

CANONICARUM INSTITUTIONUM

LIBER I.

TITULUS I.

De Juris Canonici Natura, ac Speciebus.

Jus canonicum a Graecâ voce *κανων* appellatur. Canon autem in praesenti argumento nihil aliud sonat, nisi *regulam*, ad quam Christianorum mores exiguntur. Ecclesia scilicet imperiosum *Legis* nomen aspernata mitiori *Canonis* vocabulo uti voluit, quod ipsi Apostolo placuisse non ignorabat (1).

Quamvis vero primis Ecclesiae seculis *Canonis* nomine designarentur constitutiones seu de fide, seu de disciplinâ conditae; tamen, labente tempore, Ecclesia in Conciliis, quae ad fidem pertinebant, seorsim tractavit ab iis, quae disciplinam respiciebant. Hinc illa *διατυπωσεις*, et *δογματα*, *constitutiones*, ac *decreta*; haec vero *κανονας*, *canones* nuncupavit (*a*). Ceterum hoc discrimen non diu stetit in Ecclesia. Sensim enim invaluit, ut fidei dogmata, et disciplinae constitutiones canonibus concluderentur, et *canonum* nomine tam de fide, quam de disciplina sanctiones continerentur.

Jam vero Jus *Canonicum*, quod et *Ecclesiasticum*,

(1) *II. ad Corinth. 10. ad Galat. 6. ad Philippens. 3.*

(a) *Nicaeni Patres epist. ad Aegyptios discrimen statuunt inter δογματιζειν, et κανονιζειν. in Concilio Constantinopolitano II. quae pertinent ad fidem, vocantur* anathematismi; *quae vero mores, et disciplinam respiciunt,* canones *appellantur. Hinc Gelasius Cyzicenus in Acta Concilii Nicaeni part. 2. pag. 199. distinguit διατυποσεις, et κανονας Diatyposes symbolis, epistolis synodicis, anathematismis conscribebantur; quae vero ad disciplinam pertinebant, canonibus condebantur.*

et *Pontificium* dici solet, comprehendit *regulas ab Ecclesia traditas de fide explicata, moribus correctis, ac disciplina constituta ad Christiani populi institutionem, et aeternae salutis procurationem.* Itaque nisi ab Ecclesia, h. e. Pastoribus, *quos posuit Sp. Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei*, canones condi non possunt. Quod enim in unum congregati primi ordinis Sacerdotes de communi sententia decreverint, id canonis loco semper habitum est in Ecclesia. Ecclesiasticae autem regulae vel fidem, vel mores, vel disciplinam spectant. In his, quae ad fidem, et mores pertinent, omnes Ecclesias, omnesque fideles convenire oportet; *regula* enim *fidei una est, immobilis, ac irreformabilis*, ut ait Tertullianus (1). Quae vero disciplinam respiciunt, pro temporum, ac locorum adjunctis mutationem subire possunt, salva manente Ecclesiastica communione (2) (*a*). Proinde Ecclesia fidei, morumque doctrinam explicat, disciplinam pro temporum diversitate constituit. Unis autem Christianis canones conduntur, etiamsi per haeresim, aut schisma deinde secesserint; ii enim Christianae militiae per baptismum nomen professi Ecclesiasticis legibus obstringuntur. Ceteros vero, qui extra Ecclesiam sunt, veluti paganos, Judaeos Ecclesiasticae regulae non respiciunt.

(1) *Tertull. de Virginib. veland.*
(2) *Can.* Illa autem 11. *Dist. VIII.*
(a) *Res isthaec opprime patet ex pluribus exemplis, quae ipsis Oecumenicis Conciliis depromi possunt. Ita canonem III. Concilii Constantinopolitani I. Ecclesia Romana nunquam probavit. Item canon ultimus synodi Ephesinae ab Ecclesia Antiochena non fuit receptus. Et, ut cetera praeteream, canon penultimus Concilii Chalcedonensis de Ecclesiae Constantinopolitanae privilegiis amplificandis ab Ecclesia Romana acerrime fuit rejectus. Hinc apparet, nihil contra fidem moliri eos, qui nonnullos canones Concilii Tridentini disciplinam spectantes non susceperunt, salva Oecumenico Concilio reverentia.*

Porro Jus Canonicum ratione originis vel divinum est, vel humanum. Illud Deum, hoc homines habet auctores. Divinum aut per solam rationem hominibus innotescit, et *Naturale* dicitur: aut aperta Dei voluntate fuit promulgatum, et *Positivum*, seu *Revelatum* nuncupatur. Ratione autem formae aliud est *scriptum*, aliud *non scriptum*: illud ab Ecclesia constitutum; hoc moribus fuit receptum. Praeterea ab objecto jus Canonicum vel *publicum* est, vel *privatum*. Primum respicit publica negotia ex Christianae, alterum ad singulorum Christianorum utilitatem pertinet. Postremo ratione potestatis, qua conditum est, dividitur jus Canonicum in *Generale* et *Particulare*. Generale inter Catholicos ubique obtinet, cujusmodi sunt canones Conciliorum Generalium: Particulare in aliqua natione, provincia, vel Ecclesia servatur; cujus generis sunt canones Conciliorum nationalium, provincialium, episcopalium.

TITULUS II.

De Jure Divino.

Jus Divinum vel Naturale est, vel Positivum. Jus Naturale est divini luminis in hominum mentibus consignatio. Jus istud duplici pacto spectari potest, vel quatenus primaria juris praecepta continet, veluti *bonum faciendum, fugiendum malum*; vel quatenus secundaria praecepta complectitur, veluti *auscultandum parentibus, depositum reddendum.* Priora juris naturalis praecepta ab hominum mentibus nullo pacto evelli possunt: posteriora vero obliterari ita queunt, ut quis veritatem in genere intelligat, in specie errorem sequatur. Nihil enim aliud sunt secundaria juris naturalis praecepta, quam conclusiones ex primariis derivatae, et in praxim deductae.

Jus autem divinum positivum in veteri, ac novo Testamento continetur (*a*). Vetus Testamentum complectitur leges *morales*, *caeremoniales*, ac *judiciales*. Leges morales sunt ipsa juris naturalis praecepta quae hominum malignitate ferme deleta Deus ipse per Mosen inter coruscationes ac tonitrua veluti restauravit. Leges caeremoniales sacros ritus, sacrificia, et exteriorem religionis cultum praescribebant. Denique judiciales leges ad judicia pertinebant; et rationem administrandae justitiae complectebantur.

Jam vero judiciales, ac caeremoniales Judaeorum leges, utpote ipsorum moribus accommodatae, morte Christi interciderunt (*b*). Morales vero cum ab ipso immutabili Naturali jure nil prorsus differant, per legem Evangelicam non modo vi sua non fuerunt destitutae, sed sui veluti perfectionem ac complementum acceperunt; *non enim veni solvere legem, sed adimplere*, ait Christus (1).

In novo Testamento judicialia praecepta non continentur. Non enim mundanum, sed spirituale regnum Christus instituit (2). Caeremonialia vero in eo passim deprehenduntur. Ipse Christus praecipuos ritus in Sacramentis praescripsit. Ita voluit, ut baptismus per aquam, et certam formulam conferre-

(a) *De numero librorum veteris, ac novi Testamenti acerrime olim fuit disputatum. Sed hodie de ea re frustra quaeritur. Concilium enim Tridentinum, ne qua deinceps dubitatio suboriretur, indicem confecit non modo singulorum librorum, sed etiam versionum.* Sess. IV. Decret. *de Scriptur. Canonic.*

(b) *Quando legalia mortifera evaserunt, vide Augustinum epist. 82. ad Hieronym., ubi tria tempora distinguit; primum ante Christi mortem, quo legalia nec mortua, nec mortifera erant; alterum a morte Christi ad eversionem templi Hierosolymitani, quo legalia mortua, non mortifera fuerunt; tertium denique post solemnem Evangelii promulgationem, quo mortifera quoque evaserunt.*

(1) *Matth. V. 17.*

(2) *Joan. XVIII. 36.*

tur; ut Eucharistia pane, ac vino, ceterisque verbis consecraretur; ut Ecclesiae ministri manuum impositione initiarentur. Reliquos autem peculiares ritus Ecclesiae decernendos reliquit; ita tamen, ut rituum diversitas Ecclesiasticam unitatem inter eos non turbaret, quibus eadem fidei dogmata constarent (1). Ceterum praeter ea, quae in novo Testamento scripta sunt, pleraque Christus docuit, quae Apostoli solo verbo fidelibus tradiderunt. Ea *Traditionis* nomine designantur; cujus quidem vis tanta est, quanta Evangelicae veritatis. Sed de his fusius Theologi.

TITULUS III.

De Jure Humano.

Jus humanum Ecclesiasticum vel *scriptum* est, vel non *scriptum*. Jus scriptum, quod expressa legislatoris voluntate sancitum rite fuit promulgatum, complectitur canones Conciliorum, Pontificias constitutiones, et sententias SS. Patrum. Ad jus non scriptum, quod moribus receptum custoditur, pertinent *Consuetudines*.

Concilia, quae apud Graecos Συνοδοι dicuntur, sunt conventus Episcoporum rite coacti, quibus de fide, moribus, ac disciplina pertractatur. Eorum alia sunt Generalia *οικουμενικα*, alia Dioecesana, alia Provincialia, alia denique Episcopalia. Ad Generalia Concilia totius Christiani orbis Episcopi per litteras encyclicas convocantur; eisque Romanus Pontifex vel ipse, vel per legatos praeest. Ita congregati Episcopi Ecclesiam universam repraesentant. Non omnes tamen Episcopos convenire necesse est,

(1) *Hieron. epist. 27. Augustin. epist. 86.*

ut Concilium Generale sit; satis enim est, si omnes vocentur, et plurium nationum Episcopi veniant.

Dioecesana Concilia ex Metropolitanis, et Episcopis dioeceseos coalescebant. Dioeceses vocabulo antiquitus regio designabatur pluribus provinciis distincta. Hujusmodi autem Concilia vel tantum dioecesana erant, vel etiam Patriarchalia, prout scilicet dioecesibus praeerant, aut non praeerant Patriarchae (a). Ea dicta sunt *majora*, *plenaria*, et *universalia*: interdum vero adjuncto vocabulo, ut ab oecumenicis discernerentur. Ita *plenaria totius Africae synodus*, *et universale anniversarium Concilium* dicitur Synodus Africana habita an. 418. ab Augustino, et Patribus Concilii Carthaginiensis III.

Concilium provinciale a Metropolitano indicitur, et ad ipsum omnes provinciae Episcopi conveniunt canones juri suo condituri. Concilium vero Episcopale, quod Episcopus in suo territorio indicit, coalescit ex clericis Dioecesis, iisque omnibus, qui adsidendi jus habent. Ceterum de omnibus Conciliis tam oecumenicis, quam particularibus haec servanda est regula: *Ubi in gestis Conciliorum discors sententia invenitur, illud est praeferendum, cujus antiquior, et potior extat auctoritas* (1). Sed de his alius erit dicendi locus.

Quod ad Pontificum constitutiones, earumque auctoritatem, illud est advertendum, per eas Christia-

(a) *Antequam Patriarchae instituerentur, dioecesana Concilia habita sunt tam in Oriente, quam in Occidente, veluti Asiana sub Polycrate, et Polycarpo; Africana sub Cypriano, Eliberitanum Hispanae nationis, aliaque id genus. Tum, Romano imperio in dioeceses tributo, hujusmodi Concilia a Patriarchis fuerunt indicta. Deleto autem, et in partes discisso Romano Imperio, nationalia concilia eadem fuere, ac dioecesana. Ceterum in Oriente quaeque dioecesis Patriarchis suberat; at in Occidente nulli erant Patriarchae, praeter Romanum Pontificem.*

(1) *Can. Domino 28. Dist. I.*

nos omnes adstringi (1). Ad Romanum enim Pontificem praecipue pertinet in Ecclesia Dei jus condere, et interpretari (2): quod et de Principe circa jus civile Justinianus edixit. Ceterum constitutiones in synodis Romanis Pontifices plerumque condebant olim. Hodie in constitutionibus condendis Cardinalium consilium in Pontificio Concistorio requirere solent.

Pontificiae constitutiones aut generales sunt, aut particulares. Generalibus constitutionibus vel sponte sua, vel ab aliis rogati Pontifices rectum Ecclesiae regimen procurant: particularibus constitutionibus ad Episcoporum, vel privatorum relationem aliquid definiunt, quod facit jus in proposita specie. Illud autem heic non omittendum, quod edicit Bonifacius VIII. (3), constitutiones generales Pontificum, licet ipso jure priores revocare intelligantur, consuetudinibus tamen, et statutis peculiaribus locorum, et personarum non aliter derogare, nisi nominatim in ipsis id caveatur. Hoc Juri Civili apprime consonat.

TITULUS IV.

De Rescriptis.

Rescripta nil aliud sunt, nisi litterae, quibus Pontifex ad consultationes, relationes, suggestiones tam Collegiorum, Capitulorum, et Corporum in publicis causis (*a*), quam singulorum in causis privatis respondet. Ea vel ad lites pertinent, vel ad bene-

(1) *Cap. ult. de Constit. ex.*
(2) *L. ult. §. ult. C. de Legib.*
(3) *Cap. 1. de Constit. in VI.*
(a) *Hujusmodi rescripta proprie dicuntur* Pragmaticae sanctiones *l. 7. Cod. de Div. Rescript. Ea in Principis Concistorio, causa cognita, et adhibitis precibus fiebant.*

ficia; et vel in *forma communi*, vel in *forma nova*, seu *gratiosa* conceduntur.

Jam vero illud principio de Rescriptis observandum, *rescriptum speciale derogare generali*, quamvis in eo non fuerit facta mentio generalis (1). Itidem Judicibus delegatis sive ad lites, sive ad beneficia causae committi solent cum ea clausula, *sublato appellationis remedio*. Ea sane clausula ex jure civili petita videtur. Adponi autem tantum potest judicibus datis a Principe, vel a summo Pontifice. Per hanc vero clausulam illae tantum appellationes inhibitae censentur, quae in jure indulgeri non solent, veluti moratoriae, frustratoriae, et a futuro gravamine, jure Canonico passim admissae (2). Quare si causa alicui fuerit delegata, qui jure sit suspectus, hujusmodi delegatum non immerito posse recusari, rescripsit Lucius III., quamvis, *appellatione remota*, fuerit ei negotium delegatum (3).

Solet etiam in Rescriptis clausula illa adponi = *si preces veritate nitantur*. Ea si fuerit omissa, rescriptum jure civili nullius est momenti. At jure Canonico adjecta semper intelligitur, et de precum veritate praejudiciali primum quaestione disputatur (4). Ceterum mendax precator carere debet penitus impetratis, quod Innocentius III. edixit (5) (*a*). In

(1) *Cap. 1. h. t. ex.*
(2) *Cap.* Pastoralis *53. de Appell. ex.*
(3) *Cap.* Postremo *36. eod. ex.*
(4) *Cap.* Ex parte *2. ex. h. t.*
(5) *Cap.* Super *20. h. t.*

(a) *In hoc controverso juris articulo ita distinguit Innocentius III. Qui dolo vel falsum dixit, vel verum tacuit, carere debet penitus impetratis, et rescriptum omni omnino ex parte nullum censetur. Ubi vero per errorem id contigerit, ita rem definit Pontifex: vel suppressa veritas, falsitasve expressa Pontificem ad rescriptum concedendum impulit; vel, ea non obstante, Pontifex litteras dedisset. In priori casu cessant partes Judicis delegati, resque omnis eadem ra-*

Rescripto exprimi debet nomen impetrantis, dignitas, beneficium licet minimum, et patrimonii vires (1). Itidem in omnibus rescriptis mentio nominatim facienda est Ecclesiarum (2), qualitatis personarum, corporum, adversus quae impetrantur. Strictissime autem personae, et loca in rescriptis, prout sonant, accipiuntur, nec extensio fit ad alia loca, vel personas (3), nec ab uno vacationis modo ad alium (4).

Jam vero Rescripta seu ad lites, seu ad beneficia emittantur, strictissimam accipiunt interpretationem: iis enim saepissime Episcoporum jura attentantur fraude impetrantium. Quamobrem ipsi Pontifices judices delegatos laudant, ubi eos de fraude ac dolo monuerint (5): quod ex jure civili fortasse deductum, quo iterantur, vel etiam revocantur Principum rescripta (6). Ceterum Rescriptis Pontificum, ac Principum semper obtemperandum. Tantum ad eos de fraude referri potest, quo in subreptores animadvertatur (7).

Porro ubi in Rescriptis aliquid dubii, vel praeposteri occurrat, ex jure communi res omnis erit, definienda (8); nec enim contra jus, utilitatem publicam, vel in privatorum detrimentum impetrata rescripta valent (9). Ceterum si de uno eodemque

tione habebitur, ac si dolus intervenisset. Altero casu judicis datio manet, qui etiam de negotio principali cognoscit ex jure communi, neglecta forma in literis Pontificiis praescripta.

(1) *Cap.* Cum adeo *17. eod.*
(2) *Cap.* Ex literis *2. de Dol. et Contum.*
(3) *Cap.* Significante *34. Cap.* Rodulphus *35. h. t.*
(4) *Cap.* Susceptum *eod. in VI.*
(5) *Cap.* Ex parte *2. eod.*
(6) *Nov. 17. Cap. 4. Vid. ibi Cujac.*
(7) *d. Cap. 2. h. t.*
(8) *Cap.* Causam *18. eod.*
(9) *L. 2. 3. 7. C. de Prec. Imper. offer. cap. 7. h.t. in II. Coll.*

negotio duo fuerint rescripta impetrata, nulla in secundis litteris facta mentione priorum, judices in primo rescripto dati litem dijudicabunt, et secundae litterae nullam obtinebunt roboris firmitatem (1). Quod si de revocatione dubitetur, Judices delegati tam in primo, quam in secundo Rescripto judicabunt. Ubi vero judices non conveniant res ad arbitros deferetur (2).

TITULUS V.

De Consuetudine.

Jus receptis moribus comprobatum *Consuetudo* appellatur. Definitur autem: *usus longaevus, qui vel deficiente lege, vel contra legem, summa ratione obtinuit.* Itaque ad consuetudinem firmandam requiritur tacitus populi consensus, Legislatoris tolerantia, temporis diuturnitas, et cum ratione consonantia.

Populus quidem, nisi tacito in id consentiat, ut moribus obstringatur, consuetudo numquam locum habebit. Quamobrem diuturni Christianorum jejunandi mores consuetudinem non inducunt, quippe jejunia ipsi non observant animo se iis obligandi.

De temporis vero longaevitate, quo consuetudini firmandae est opus, nil in jure definitum. Licet enim in usucapione, et praescriptione longum tempus aliquando decem, vel viginti, aliquando triginta, vel quadraginta annorum spatio concludatur; id tamen ad consuetudinem produci non potest. Quapropter Judex religione sua decernet, utrum consuetudo firmata sit, necne. Ceterum ad consuetudinem

(1) *Cap.* Ceterum *3. h. t.*
(2) *Cap.* Pastoralis *14. eod.*

contra ipsum canonem constabiliendam spatium annorum quadraginta sufficere videtur (1).

Porro nisi ratione suadente recepta fuerit consuetudo, *corruptela potius, et vetustas erroris erit* (2). Ea de causa Pictaviensis consuetudo a Pontifice rejicitur, qua in causis Ecclesiasticis imperiti et rustici judicabant (3). Itidem reprobatur consuetudo Ecclesiae Graecae, in qua presbyteris permittitur Confirmationis conferre Sacramentum (4).

Consuetudines aut *generales* sunt, aut *particulares*: illae in omnibus, hae in quibusdam Ecclesiis obtinent. Ita ex generali consuetudine Christiani die dominico stantes orabant: et ex particulari consuetudine in Ecclesia Romana sabbati jejunium servabatur.

Licet autem certi juris sit, consuetudinem legi derogare: id tamen de canonibus intelligi debet, qui disciplinam respiciunt, neutiquam de iis, qui ad mores pertinent. Quod enim contra bonos mores usu receptum jus est, non consuetudo dicenda est, sed vetustas erroris.

TITULUS VI.

De Legum Ecclesiasticarum Promulgatione.

Qui legem ignorant, nulla religione ad ejus observationem obligari possunt. Itaque necessaria est legum promulgatio, ut ipsae suam vim habeant (5). Leges quidem Principum seu per praeconem, seu per edictum rite semper fuerunt promulgatae. Extat

(1) *Cap.* Abbati 25. *de V. S.*
(2) *Cap.* Cum tanto *ult. h. t.*
(3) *Cap.* Ad nostram 3. *eod.*
(4) *Cap.* Quando 4. *eod.*
(5) *S. Thomas* 1. 11. *Quaest.* 90. *art.* 4. *in corp.*

Novella Justiniani constitutio, quae modum publicandarum legum praescribit, earumque vim suspendit, donec duo menses a die insinuationis fuerint elapsi. Ea autem promulgandi ratio ita fuit constituta, ut lex a Principe ad Praefectos Praetorio missa, atque in civitate Praefectoriana, edictis publice propositis, publicata, ab iisdem Praefectis ad Praesides Provinciarum dirigeretur, qui eam in Metropolitana civitate, atque in ceteris Provinciae urbibus promulgari curarent (1).

Quod de principalium legum promulgatione Justinianus edixit, ad Ecclesiasticas constitutiones deduci recte potest. Concilia generalia suos canones vim obtinere noluerunt, nisi post notitiam a populis rite acceptam. Concilium Arelatense I. suis canonibus clerum, aut plebem teneri noluit, nisi prius per provincias fuissent a Silvestro Pontifice publicati. Mitto promulgationem canonum Nicaenorum Aegyptiis factam, ceterisque Episcopis, qui synodo non interfuerant, litteris ad eos a Nicaenis Patribus scriptis. Idem porro a Concilio Sardicensi factitatum novimus ex ejus epistola ad Julium Romanum Pontificem. Concilium Lateranense sub Innocentio III. habitum cum praecepisset medicis, ut aegros ad animarum salutem procurandam inducerent, antequam morbo remedia pararentur, illud porro subjecit, poenae in canonis violatores constitutae non esse locum antequam canonis promulgatio ab Episcopo facta fuerit (2). Et Concilium Tridentinum cum matrimonia clandestina rescidisset, decreto suo vim nullam esse voluit, nisi post triginta dies a die publicationis (3). Sed nihil ad praesentem disputatio-

(1) *Nov. LXVI. c. 3. §. 1. et 3.*
(2) *Conc. Lateran. IV. can. 22. Cap.* Cum infirmitas *de Poenit. et remiss.*
(3) *Conc. Trid. Cap. 1. de Reform. sess. 24.*

nem accommodatius afferri potest, epistola Concilii Ephesini ad singularum provinciarum Episcopos, presbyteros, diaconos, ut universum populum data, qua synodus omnes certiores reddit de iis, quae adversus Caelestii, Pelagiique haeresim fuerant decreta. Ea autem epistola describuntur nomina Episcoporum, quos a communione Concilium ejecerat, ne formatae, et communicatoriae ab illis reciperentur, vel ad eos darentur.

Jam vero ipsi Romani Pontifices ab hujusmodi promulgationis ratione nil recesserunt. Sane Siricius ad Himerii Tarraconensis consultationes cum graviter respondisset, illi dat in mandatis, ut Hispanis Episcopis decreta sua insinuet, ne in posterum se ignorantia juris tueri possent. Adeo autem necessaria erat decretorum Siricii per provincias promulgatio in eo saltem jure, de quo agebatur, nempe de sacerdotum dejectione, qui ab uxoribus non abstinebant, ut Innocentius ea de re consultus ab Exuperio Episcopo Tolosano rescripserit, disparem esse conditionem illorum, qui Siricii decreta ignorarunt, ab iis, quibus ea innotuerant: illis enim *ignorationis venia remittetur, ita ut de cetero penitus incipiant abstinere; hi autem sunt omnibus modis submovendi* (1). Eadem ratione usus est Zosimus epistola ad Episcopum Arelatensem, et Leo M. ad Episcopum Forojuliensem (2).

Lex autem rite promulgata post duorum mensium intervallum obligare incipit tum ex jure Romano (3), tum ex jure Pontificio (4). Ceterum apud nos leges statim post promulgationem cives obstringunt, nisi vacationis aliquod tempus adjiciatur. Quin

(1) *Innoc. in Decret. cap. 21.*
(2) *Leo in Decr. cap. 45. et epist. 91. ad Episcopum Forojuliens.*
(3) *Nov. LXXVI.*
(4) *Cap. ult.* Ne Clerici, vel Monachi.

et canones synodi dioecesanae *statim* a promulgatione obligant (1).

Illud porro heic est advertendum, populi consensum post legis promulgationem non expectandum. Regibus rei totius publicae salus a Deo commissa, et Ecclesiae Supremo Pastori totius Christiani populi sollicitudo credita. Ferendarum itaque legum, canonumque condendorum auctoritatem penes Principes qua seculares, qua Ecclesiasticos esse nemo unus dubitat. Ex recepta itaque sententia Alexander VI. anno 1665. hanc thesim proscripsit: *populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.*

TITULUS VII.

De Regio Placito.

Quod apud Belgas *Regium placitum* appellatur, apud nos *Regium Exequatur* dicitur. Eo nomine designatur Regis, ejusque sanctioris Consilii decretum, quo Apostolicae litterae in regno publicari, atque executioni demandari jubentur. Vetustissima sane consuetudine Principes, petentibus Episcopis, auctoritatem suam Ecclesiasticis regulis impartierunt, cum vel haeresis in aliqua regione grassaretur, vel non legitimus in cathedram Principis Apostolorum Pontifex irrepserit, Ecclesiamque schismate dilacerare, sibique inservire voluit. Id apprime colligitur ex historia veterum Conciliorum Generalium, quorum decreta, auctoritate Imperatorum firmata, prodierunt. Instar omnium sit Concilium Ephesinum, cujus Patres ita ad Theodosium scribunt: *Jubeatis, ut ea quae constituta sunt ab Oecumenica, et*

(1) *Benedict. XIV. de Synod. Dioeces.*

sancta Synodo . . . . . suum robur obtineant adsensu vestrae pietatis (1).

Jam vero Regium placitum eo spectat, ne quid per Apostolicas litteras seu subreptione, seu obreptione impetratas Regia jura, aut veteres Regni mores detrimenti capiant. Itaque apud nos supremus Senatus Pontificias litteras expendit, ut ubi in iis nihil deprehederit, quod impetrantium seu subreptione, sive obreptione Regia jura attentet, executionem permittat. Cum vero per Regii *Exequatur* impetrationem id tantum demonstretur, nec Majestatis attentari jura, nec publicum regimen turbari, aut receptas consuetudines convelli, si cui privato detrimentum inferatur, poterit is apud competentem judicem experiri, salva Principi, et Pontifici reverentia.

Ex his, quae hucusque enarravimus, illud deducitur, per regium *Exequatur* non infringi legitimas Romanae Sedis constitutiones, nec ullam injuriam Pontificibus irrogari, quippe quod Regium Exequatur sive ad tutamen fidei, sive ad religionis bonum intenditur. Id adeo verum est, ut ipsi Pontifices consuetudinem Regii *Exequatur* permiserint. Sane Benedictus XIV. inter secretos articulos *Concordati*, quod cum Carolo Rege Augusto iniit, consuetudinem Regii *Exequatur* abs re Ecclesiastica non putavit.

(1) *Conc. Ephesin. Act. V.*

TITULUS VIII.

De Diversis Christianorum Ordinibus.

In Ecclesia Christi alii quidem praesunt, alii subsunt. Quapropter in duos ordines Christiani recte dispescuntur: quidam enim *Clerici*, ceteri *Laici* sunt (*a*).

Laici a Graeca voce λᾶος *plebs* nuncupati in Ecclesia ii sunt, qui, cum nullo munere fungantur, veluti *plebem* constituunt. Hinc apud veteres Patres Ἰδιῶται *Idiotae* appellantur: quae vox ab ipso Apostolo (1) usurpata, interprete Chrysostomo, et Theodoreto (2), non *indoctos* significat, sed eos, qui nullo publico munere distincti privatam vitam in Ecclesia agunt. Quare Synesius (3) ἱερεῖς, καὶ ἰδιώτας opponit, illos quidem tamquam publico ministerio fungentes, hos vero in nullo Ecclesiastico munere constitutos.

At Clericorum nomen a primis usque Ecclesiae seculis tributum iis est, qui aliquod publicum munus in Ecclesia gerunt, sive praesint, sive ministrent. Ita autem appellantur a Graeca voce κλῆρος *sors*, *vel quia de sorte sunt Domini*, *vel quia*

(a) *Eusebius tres in Ecclesia ordines enumerat* Ἡγουμένων, Πιστῶν, Κατηχουμένων Praefectorum, Fidelium, *i. e. Baptizatorum, et* Catechumenorum. Demonstrat. Evang. lib. VII. Cap. 2. *Hieronymus* in Jesaiam Cap. 19. *secutus Origenem* Homil. V. in Ezechiel. *Christianum populum partitur in Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Fideles, et Catechumenos. Is profecto in eo ab Eusebio dissidet, quod Clerum in tres ordines dividit. Sunt qui Christianam gentem in Clericos, Laicos et Monachos distinguunt. Ii fortasse operam abuti videntur, cum Monachi vel Clericis, vel Laicis adscribi possint, prout vetus, aut nova disciplina spectatur.*

(1) *I. Corinth. XIX. 16.*

(2) *Chrysost. Hom. XXXV. in Ep. I. ad Corinth. 14. Theodoret. in I. ad Cor. XIV. 16.*

(3) *Synes. ep. LIX. ad Theoph.*

Dominus sors, *i. e. pars Clericorum est*, ut ait Hieronymus (1) (*a*). Ceterum, utcumque de nominis origine sit, *Clericos* tantum eos dixeris, *qui divino cultui ministeria religionis impendunt*, ut egregie more suo ait Constantinus (2).

Antiquitus Clerici vocati sunt etiam *Canonici*, Κανων *Canon* enim inter alia Codicem denotat, in quo Clericorum nomina describebantur, unde dignosci posset, ad quam quisque Ecclesiam pertineret. Sane eo sensu hoc vocabulum adhibuere Nicaeni Patres (3), et Antiocheni (4), cui apte respondet Latina vox *Album* apud Sidonium Apollinarem (5), *Tabula Clericorum* apud Augustinum (6), et *Matricula* in Concilio Agathensi (7). Inde factum, ut Clericis Canonicorum nomen haeserit; ac ψάλται κανονικοί in Concilio Laodiceno (8) illi e clero dicantur, qui ad psallendum in Ecclesia erant ordinati.

Jam vero clericos a laicis divino jure distingui apertissimis demonstratur argumentis; quidquid contra obnitantur Rigaltius (9), Salmasius, et Seldenus, qui contendunt, aetate Apostolorum *Clericorum* nomine universam Christianorum gentem designatam; aevo tandem Cypriani Pastorum ambitione factum, ut nomen illud certis tantum quibus-

(1) *Epist. II. ad Nepotian.*

(a) *Alia hujus vocabuli origo aptior Henr. Dodwello videtur. Ipsi nimirum placet, rem ab Judaeis, et Gentilibus repetere, apud quos ad sacra munia per sortem evocabantur.* Dissert. I. in Cyprian. 15. *Id haud improbabile Bynghamo visum.* Orig. Ecclesiast. l. 1. *Cap. V.* §. 9.

(2) *L. 11. Cod. Theod. de Episc. et Cleric.*

(3) *Can. 17. et 19.*

(4) *Can. 1.*

(5) *Sidon. Apollinar. lib. VI. Cap. 8.*

(6) *August. Hom. L. de Divers.*

(7) *Conc. Agathens. can. 2.*

(8) *Conc. Laodic. can. 15.*

(9) *Rigalt. Not. in Cyprian. ep. II.*

dam personis appingeretur. Sane Apostolus eam distinctionem luculentissime statuit, ubi Pastores ita alloquitur: *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (1). Et Petrus Apostolorum princeps idem discrimen inculcat, ubi presbyteros hortatur, ut gregem Dei pascant, eique non coacte, sed spontanee provideant (2).

Idem porro discrimen laicos inter, ac clericos Patres omnes agnoverunt Ignatius Martyr laicos jubet nihil agere, inconsulto presbyterio (3). Tertullianus haereticos ea potissimum de causa insectatur; quod apud eos officia clericorum laicis essent communia contra morem in Ecclesia Catholica receptum, ubi laici a ministerio Clericorum tamquam profani arcentur (4). Postremo refert Clemens Alexandrinus, Joannem Apostolum, mortuo Domitiano, a Patmo insula Ephesum rediisse, *partim ut Episcopos constitueret, partim ut integras Ecclesias formaret, partim etiam ut unumquemque eorum, quos Spiritus Sanctus designasset, in Clerum cooptaret* (5). Ex quibus omnibus manifesto apparet, Clerum a populo semper fuisse distinctum, eosque, qui praesunt, ab iis, qui subsunt, fuisse discretos.

Illud autem nil refert, quod Petrus universam Christianorum gentem *genus electum* appellet, et *regale sacerdotium* (6); et Joannes affirmet, Christum fecisse Christianos omnes *regnum* et *Sacerdotes* (7); utroque enim in loco non de vero, sed de

(1) *Actor. XX. 28.*
(2) *I. Petr. 2.*
(3) *Ignat. epist. ad Magnes. n. 7.*
(4) *Tertull. de Praescript. cap. 41.*
(5) *Clem. Alexandr. lib.* Quis dives salvetur?
(6) *I. Petr. II. 9.*
(7) *Apocalyps. II.*

improprio sacerdotio sermo habetur, cujus intuitu a laicis clerici nihil prorsus differunt. Quemadmodum enim *sacrificium* diversa notione a veteribus Patribus usurpatur; ac modo latius pro omnibus bonis operibus, quibus Deo litatur; modo strictius pro immolatione et oblatione victimae adhibetur; ita et sacerdotium aliquando latius pro improprio sacerdotio accipitur, quod Christiani omnes in baptismo adsequuntur, aliquando pro vero ac proprio sumitur, quod unis Clericis competit, in quo a laicis discernuntur.

Ceterum Clerici a laicis divino jure distincti variis inter se officiis differunt. Primis quidem Ecclesiae seculis in tres diversos ordines Clerici distinguebantur, Episcoporum, Presbyterorum, et Diaconorum: inferiores ordines posteriori aevo Ecclesia agnovit. Verum hodie inter omnes constat, septem in Ecclesia ordines numerari; Presbyteratus nempe, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolythatus, Exorcistatus, Lectoratus, et Ostiariatus. His addi debet Episcopatus ordo ab ordine presbyteratus prorsus distinctus. Quod enim clericalem tonsuram inter ordines plerique recensent, iis quidem adhaerere non possumus, cum clericalis tonsura non ordo sit, sed ceterorum ordinum veluti auctoramentum.

Episcopi a Presbyteris jure divino distinguuntur.

Jam inde a IV. Ecclesiae seculo Aerius Episcopos in eamdem cum Presbyteris sortem redegit. Eum porro secuti sunt Wicleffus, Walpenses, Lutherani, et Calvinistae, qui Episcoporum supra presbyteros auctoritatem non ex Christi institutione repetunt, sed ex receptis in Ecclesia moribus. Hanc sen-

tentiam, quam *stoliditatis* arguit Epiphanius (1), dedita opera propugnarunt Salmasius, et Blondellus. At Ecclesiae causam plerique susceperunt. Prae ceteris vero strenue pro Catholica veritate dimicarunt Anglicani Scriptores Guilelmus Beveregius (2), et Joannes Pearsonius (3). Nos eorum scrinia non compilabimus: paucis tantum rem omnem absolvemus.

Primum quidem si Diaconi, quia diverso a Presbyteris ritu ordinantur, in diverso ordine constituuntur, Episcopi a Presbyteris distinguuntur, cum multum discrepet Episcopalis ordinationis ritus a ritu, quo presbyteri initiantur. Inde porro fit, ut diversa potestas Episcopis, ac Presbyteris conferatur, atque illi patres, hi filios Ecclesiae generare dicantur.

Praeterea usque ab aetate Apostolica veteres Patres semper ut distinctos ab Episcopis Presbyteros praeferunt. Id profecto luculentissime monstratur ex epistolis Ignatianis. Hujus autem Martyris auctoritas tanti adversariis fuit, ut inter spurias scripturas eas ablegare coacti sint. Sed post Usserii, et Pearsonii vindicias nemo unus de illorum genuinitate hodie dubitat. Idipsum porro inculcat Pius II. epistola ad Justum Episcopum Viennensem, cujus testimonium genuinum agnoscit Blondellus. In ea epistola Pontifex Episcopum a Presbyteris, ac diaconis discernit, quos tamen ipsis subesse oportere edicit. Mitto Clementem Alexandrinum, Origenem, aliosque seculi III. Scriptores, quos videre est apud Jo: Pearsonium. Tantum Tertulliani locum afferre juvabit, unde intelligere datur, quantum a veritate aberrent

(1) *Epiphan. Haeres. 56.*
(2) *Bevereg. Cod. Can. primit. Eccl. illustr. lib. II.*
(3) *Pearson. Vindic. Ignatian. lib. II. cap. 13.*

Presbyteriani, qui contendunt, primis Ecclesiae seculis discrimen inter Episcopos, ac presbyteros fuisse inauditum. Tertullianus itaque ita ait: *Dandi quidem jus habet Summus Sacerdos, qui est Episcopus; dehinc Presbyteri, et Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate* (1).

Plura sunt Presbyterianorum argumenta, quibus suadere conantur, parem fuisse primis Ecclesiae temporibus Episcoporum, ac praesbyterorum potestatem; sed ea confutare instituti nostri ratio non sinit. Id Theologis curae sit.

TITULUS IX.

De Privilegiis Clericorum.

Inter Clericorum privilegia primum locum obtinet privilegium fori, quo Clerici, nisi apud proprium Episcopum, conveniri non possunt (2). Hujusmodi privilegium Clericis datum est in honorem Ecclesiae, ne, qui sacris addicti sunt, secularia judicia subeant in sui ordinis contumeliam (3). Jure Pontificio clerici etiam in minoribus ordinibus constituti utuntur fori privilegio, dummodo tonsuram, et vestem clericalem deferant (4). Huic autem privilegio Clerici ne quidem volentes renunciare possunt (5); tum quia est juris publici, cui voluntate privatorum derogari nequit (6); tum quia privilegium non est personale, cui renunciari possit, sed toti Colle-

(1) *Tertull. lib. de Baptism. cap. 17.*
(2) *L.* Cum Clericis *C. de Episc. et Cleric. Cap.* Si diligenti 12. *de For. competent. ex.*
(3) *d. Cap.* Si diligenti.
(4) *Cap. un. de Cleric. conjug. in VI.*
(5) *d. Cap.* Si diligenti.
(6) *L.* Nemo *ff. de Legat. I.*

gio Ecclesiastico publice indultum (1). Atque ordinis quidem vinculo ita cohaeret privilegium personae, ut ab ea prorsus avelli non possit. Ceterum si clerici macellariorum, aut tabernariorum officium publice, et personaliter exerceant, et ter ab Episcopo moniti ab eo non destiterint, aut omnino incedant uti laici, clericale privilegium amittunt (2).

Insigne est etiam clericorum privilegium, quod eis competit ex can. *Si quis, suadente diabolo* (3). Eo privilegio fit, ut, si quis violentas manus in clericum, vel monachum intulerit, incidat in excommunicationem canonis, quae vim habet latae sententiae, a qua, nisi ab uno Summo Pontifice, absolvi frustra postulat, modo non immineat mortis periculum (4). Hujusce canonis auctor Innocentius II. in Concilio Lateranensi anno 1139. quo consuleret securitati Clericorum, qui passim a laicis impune caedebantur (*a*). Ceterum si qua mulier clericum pudicitiae suae vim inferentem percusserit, canonis poenam non subibit. Ea enim in specie manus in clericum illatae non faciendae, sed repellendae injuriae causa inferuntur.

(1) *d. Cap.* Si diligenti.
(2) *Clement.* Dioecesanis 1. *de Vit. et Honest. Cleric.*
(3) *Can.* Si quis 29. *C. 17. q. 4.*
(4) *Cap.* Cum illorum 22. *de Sent. excommunic. e* ꝗ.
(a) *Licet eorum absolutio, qui violentas manus in clericos injecerint, Romano Pontifici sit reservata, non desunt tamen species, in quibus Sedem Apostolicam ea de causa adire non est necesse. Ita si monachi se in claustro percusserint, a suo Abate absolvi possunt. Cap.* Cum illorum 22. *cap.* Monachi 2. *de Sent. excommun. e* ꝗ. *Si vero moniales vel in se invicem, vel conversas suas, aut clericos etiam manus injecerint temere violentas, per Episcopum, in cujus dioecesi Monasteria fuerint, absolventur. Cap.* De Monialibus 33. *eod. Item mulieres, aliaeque personae, quae sui juris non sunt, ab Episcopo dioecesano absolvi possunt, Cap.* Mulieres 6. *eod. Debiles vero, qui Romam ire non possunt, ex Pontificis rescripto ab Episcopo corrigentur d. Cap.* Mulieres -- *His addi possunt, qui levem injuriam*

Est et aliud clericorum privilegium, quo, si solvendo non sunt, satis est eos, datis fidejussoribus, cavere, se soluturos, ubi ad pinguiorem venerint fortunam (1). Atque hac quidem in re militibus comparantur, qui ubi aeris alieni nomine tenentur, solvunt, quatenus facere possunt, i. e. detracto, ne egeant, beneficio competentiae ipsos juvante (2).

De Clericorum Immunitate.

Immunitas (*a*), quae etiam *exemptio Ecclesiastica* dici consuevit, est *beneficium, quo res, vel personae Ecclesiasticae a communi onere eximuntur*. Ea in *personalem*, ac *realem* dividitur. Personali immunitate ab oneribus sive honorificis, sive sordidis Clerici liberi sunt. Reali vero immunitate bona Ecclesiarum, et Clericorum a tributis, ceterisque oneribus vacant.

De Personali Clericorum immunitate.

Primus Constantinus Clericos a personalibus oneribus liberavit; qui et *capitationis*, et *metati* immunes eos esse jussit (3). Capitatio, quae et *tributum capitis*, et *census capitum* vocatur, est tributi genus, quod pro quovis capite penditur (4). Extat

intulere. Cap. Pervenit 17. *eod. Postremo impuberes, quique per jocum Clericum percusserint, a proprio Episcopo absolutionem impetrabunt — Cap. 1. eod.*

(1) *Cap.* Odoardus 31. *de Solut.*

(2) *L.* Milites *ff. de Re judic.*

(a) *Immunitas est vacatio, et exemptio munerum, onerum, et officiorum.* Munis *quidem Festo dicitur* Officiosus, *et Tullio Offic. III.* vectigalis, *Graece* λώιτουργος. *Hinc* immunis *est, qui nullo fungitur officio, a Graecis* ἀλειτουργος *nuncupatus.*

(3) *L.* 1. *et* 2. *C. de Episc. et Cler.*

(4) *L. Aetatem* 3. *ff. de Censib.*

in Codice Theodosiano Imperatoris Constantii constitutio, qua Clerici, eorumque conjugia, ac liberi necnon ipsorum ministeria, atque liberi ab hujusmodi censu liberantur (1).

Metatum vero est onus, quo quisque adigitur Imperatoris aulae, et stipatoribus, nec non magistratibus, ac militibus pro imperio proficiscentibus hospitii jura praebere. Ab hoc vocabulo appellati sunt *metatores*, qui diversorii, et alimentorum parandorum causa praemittebantur (*a*). Largitate Constantini ab huiusmodi hospitii Clerici eximuntur (2), nisi aut necessitas urgeat, aut in subsidium advocentur.

De Clericorum immunitate a publicis muneribus qua sordidis, qua honorificis.

Nemini, qui jure civitatis vivit, publica munera seu sordida, seu honorifica detractare licet. Per sordida munera jubebantur cives munire vias, et pontes, aut ad ea opera suppeditare calcem, currus, carbones, ligna, animalia, farinas, panes, furnos: itidem praebere cogebantur paraveredos, parangarios, ac capituli, temonisque (*b*) praestationem, sumptus Allectis (*c*), ac Legatis, et alia hujusmodi, quae

(1) *Cod. Theod. l. 4. eod.*

(a) *Apposite Cyprianus epist. 81. de Rogatiano presbytero Carthaginiensi; qui primus omnium in persecutione Decii Martyr occubuit*: primus, *ait*, hospitium vobis in carcere praeparavit, et metator quodammodo vester nunc quoque vos praecedit.

(2) *L. 8. Cod. Th. de Oner. Metat.*

(b) Temonis *nomine veniunt equi tirones ad militiam, vel quidquid vices illorum fungeretur, ut* aurum tironicum, equorum adaeratio.

(c) Allecti *dicuntur, qui a Principe advocantur causa reipubblicae. Hujusmodi erant* susceptores, *qui rationes publicas scribebant l. 11. Cod. Th. de Susceptor. l. un. Cod. de Praefect. Labor.*

a Valentiniano, et Theodosio memorantur (1). Ab hisce muneribus obeundis clericos immunes fecit Constantinus constitutione sua (2), quam deinceps confirmarunt Valentinianus, et Theodosius (3).

Ab honorificis autem muneribus, quae et *municipalia*, et *Curialia*, et *Honores* dici consueverunt clericos primus omnium liberavit Constantinus (4). Verum cum id beneficium unis Catholicis indultum aegre ferrent Donatistae, turbas in civitate excitarunt, quibus Clericos ad publica munera pertrahere contendebant. Re ad Principem delata, lex anno 310 lata est, qua et firmata Clericorum privilegia, et poena contra eos sancita, qui adversus legem molirentur. Paucis post annis cum intellexisset idem Augustus, legi a nonnullis laicis illudi, qui titularem quamdam ordinationem praetexentes immunitatem a Curialibus muneribus extorquebant, nova lege lata edixit, ut, qui per hujusmodi fraudem obsequia publica declinarent, Curiae, ordinibusque restituerentur, civilibus obsequiis inservituri (5). Sed haec non diu steterunt. Qui secuti sunt Principes, Constantini legi derogarunt, iis, qui civilibus obsequiis obstringerentur, potestate facta vel alium sibi substituendi, vel tres patrimonii partes Curialibus addicendi (6).

(1) *Cod. Th. l. 15. de Extraord. et sord. Munerib.*
(2) *L. 10. Cod. Theod. de Episc.*
(3) *D. l. 15. C. Th. de Extraord. Mun.*
(4) *Augustin. ep. 68.*
(5) *Cod. Th. l. 3. de Episc.*
(6) *Vid. Bingham. Lib. V. cap. 3.*

De Clericorum immunitate a tributis.

Quod ratione possessionum exigitur tributum a medii aevi Scriptoribus aliquando *κανων canon* (1), aliquando *jugatio* (2), interdum *capitatio terrena* (3), et saepius *indictio*, et *inlatio canonica* (4) appellatur. Id tributi genus ter per annum pensitari solebat, scil. post exactum quodque quadrimestre spatium, ejusque exactio per *cephalaeotas* fiebat (5) (*a*). Ab hac *terrena capitatione* Clericos omnes immunes fuisse putat Baronius (6). Verum ex diversis Principum constitutionibus quisque facile potest colligere, ejus tributi immunitatem quibusdam tantum Ecclesiis concessam.

Quolibet vertente lustro *collatio lustralis*, seu *aurum lustrale* (*b*) pensitari solebat. Qui collectitia stipe vivebant, ab eo non excusabantur (7). Cum vero clericis inferioribus licuerit aliquando, angustis Ecclesiae rebus, negotiari, Constantius ipsis in-

(1) *Athanas. Apolog. II.*
(2) *Vid. tit. de* Canone Frumentario *in Cod. Theod.*
(3) *L. 2. Cod. Theod. de Cens. Leg.*
(4) *L. 40. Cod. Theod. de Episc. et Cleric.*
(5) *L. 6. Cod. Theod. de Patrocin. vicor.*
(a) *Sidonius Apollinaris Carm. XIII. ad Majorianum Imp. de hoc genere tributi.*

Geryones nos esse puta, monstrumque tributum:
Haec capita, ut vivam, tu mihi tolle tria.

Qui sane versus sine lectione legum Imperialium, quibus Inlatio canonica *triplici per annum solutione pendi jubebatur, intelligi non possunt.*

(6) *L. 33. Cod. Theod. de Annon. et Tribut. L. 6. Cod. Theod. de Patrocin. Vicor. L. 5. Cod. Theod. de Episc. et Cleric.*

(b) *Hujusmodi tributum dicitur etiam χρυσάργυρον i. e.* auri, argentique collatio, *Baron. ad an. 330., et a Basilio Epist. 243.* χρισιον πραγματευτικον aurum negotiatorium, *quia scil. hoc vectigal, negotiatoribus fuit praescriptum.*

(7) *Evagrius l. 3. c. 39.*

dulsit, ne lustralem collationem solverent. Verum cum clerici negotiationem ad avaritiam converterint, placuit Principibus, ad aurariam functionem devocare, quidquid Clerici supra praescriptum negotiationis modum molirentur (1). Quin ubi Principes suboluit mercatorum fraus, qui ordinationem titulo tenus aucupabantur, illud edixere, ut hujusmodi clerici aut a clericorum excusatione discederent, aut versutis abstinerent quaestibus: *Siquidem distincta sunt stipendia religionis, et calliditatis* (2).

Ab angariis quoque, et parangariis, quatenus personale sordidum munus ducendi jumenta ac plaustra ipsis designetur, clericos immunes semper fuisse, nemo ignorat. Si vero pecuniae realis praestatio respiciatur, quae pro angariarum, et parangariarum obsequio solvebatur, Clerici diversa ratione ex Principum largitate habiti sunt. Constantinus sub imperii initia immunitatem ab hoc obsequio Clericis indulsit (3); senior factus ad *translationes eos attineri voluit* (4). Theodosius porro (5), ac deinde Honorius Clericos in pristini privilegii jura vocarunt. Tandem Theodosius Jun. et Valentinianus III. Clericos angariarum, et parangariarum onera praestare jusserunt (6).

Ceterum *angariae* in Jure Romano sunt praestationes paraveredorum, sive equorum cursualium, et plaustrorum (7). Vocari interdum consuevere, *cur-*

(1) *L. 15. Cod. Theod. de Episc. et Cleric. l. 11. cod. de Lustrali collat.*
(2) *L. 16. Cod. Theod. de Lustr. Collat.*
(3) *L. 10. Cod. Theod. de Episc. et Cleric.*
(4) *L. 15. Cod. Theod. eod.*
(5) *L. 15. Cod. Theod. de Extraord. et Sordid. Munerib.*
(6) *L. 12. Cod. de Episc. et Cleric.*
(7) *Apud Feudistas* angarii *dicuntur, qui certis anni diebus baronum sumtibus operas ipsis praestare adiguntur; parangarii vero vocantur, qui suis sumtibus baroni operas praestant.*

sus publicus, *translatio*, *et evectio.* In eo angariae differunt a parangariis, quod illae praestantur, qua cursus est publicus; hae vero per eas vias, per quas publicus cursus haud est dispositus.

Fuit et aliud tributi genus, quod *denarismus*, *unciae*, et *descriptio lucrativorum* dicebatur. Si quis alicujus e Curialibus bona titulo lucrativo cepisset, singulos denarios sive uncias solvere quotannis jubebatur in singula juga boum (1). Ab hujusmodi tributo Ecclesiae vacationem a Justiniano acceperunt (2).

Ex his, quae huc usque memoravimus, id sane constat, prioribus Ecclesiae seculis immunitatem Clericorum variam, et diversam pro diverso Principum ingenio, et largitate adversus Ecclesiam subiisse vicem. Illud tamen certi juris est, tum Ecclesiarum possessiones, tum Clericorumbona patrimonialia ab ordinariis tributis non fuisse exempta (3).

Ita quidem ex jure Romano se res habuit circa Ecclesiarum immunitatem. Verum ubi Concilia Lateranensia, alterum sub Alexandro III., alterum sub Innocentio III. Ecclesiarum, et clericorum bona a tributis generatim exempta decreverunt, Neapolitani Principes Carolus II. (4), et Ferdinandus Aragonius, Concilio Melphitano praeeunte (5), Clericis, atque Ecclesiis immunitatem confirmarunt in iis tantum rebus, quae ad ipsos *legitime* spectarent, quaeque per contractus quaesissent.

Ceterum utcumque haec vera fuerint, de reali Clericorum immunitate actum fuit in pactis conventis inter Benedictum XIV. et Carolum Borbonium

(1) *L. 107. et 123. Cod. Theod. de Decurion.*
(2) *L. 22. C. de Sacros. Eccl. Nov. 131. Cap. 5.*
(3) *Nov. XXXV. et XXXVI. L. 15. Cod. Theod. de Episc. et Cl.*
(4) *Capitul. 98.*
(5) *Synod. Melphit. an. 1089. Can. 2.*

utriusque Siciliae Regem. In ea Summarum Potestatum conventione fuit constitutum, ut Ecclesiae ex rebus, quae post eam conventionem adquisivissent, *canonicas illationes* pensitarent; ex iis vero rebus, quae ante eam aetatem possidebant, medietatem tantum tributorum solverent, immunitate plena Xenodochiis, Parochiis, Seminariis concessa, et sacris Clericorum patrimoniis, quae summam ducatorum quadraginta non excederent; modo Clerici ad titulum Beneficii non fuerint ordinati.

TITULUS X.

De Romano Pontifice.

Principem in universa Ecclesia locum obtinet Romanus Pontifex, qui primatum potestatis, et jurisdictionis ab ipso Christo accepit. Ab Ecclesiae incunabulis auctoritatem suam Pontifex in Ecclesia universa exercuit, nulla ipsi facta controversia de jure, ac plenitudine potestatis. De Romani Pontificis Primatu plenius disputant Theologi: nos pro instituti nostri ratione ea paucis exhibebimus, quae ex Primatu promanant.

Ratione itaque primatus fidei integritatem Pontifex tuetur, canones condit, et canonum jubet observantiam, nutantes in fide fratres confirmat, pertinaces a communione repellit, atque ad unitatem tamquam unitatis centrum omnes cogit. Ex ipsa primatus natura Romanus Pontifex generalia indicit concilia (*a*), iisque praeest cum jure relationis, et suf-

(a) *Nicaeni Patres edicto vetuerunt, ne Concilia Generalia sine Apostolicae Sedis auctoritate congregarentur.* Can. 20. *Eo nomine Concilium Antiochenum, et Ariminense fuerunt damnata, quod sine Romani Pontificis auctoritate coierint.* Socrat. lib. 2. cap. 5. *Ipsi Principes auctoritatem Romanae Sedis ea in re agnoverunt. Su-*

fragii praerogativa. Quin Pontificii Primatus potestatem luculentissime demonstrant legati a latere in omnem, qua late patet, Christianum orbem missi; atque interdicta, suspensiones, excommunicationes Romana ex arce aut excussae, aut revocatae in omnibus orbis provinciis, non dissentientibus Episcopis. Tandem jure Primatus Romani Pontifices et aliarum Ecclesiarum Clericos suae Ecclesiae adstringunt, et quocumque se conferunt, veluti in propria sede versantur, tamquam Summi Pastores, quibus totum ovile a Christo concreditum.

Inter Romani Primatus praerogativas illae non ultimum locum tenent, quibus factum, ut ex omni Christiano orbe qui se oppressos putabant, Romam confugerent (*a*); in dubiis seu doctrinae, seu disciplinae Romanam Cathedram consulerent (*b*), causasque omnes ante, vel post ipsum Concilii Provincialis judicium ad Romanum Pontificem referrent (*c*).

ne Valentinianus, et Marcianus Leonem Romanum Pontificem exorarunt, ut synodus Chalcedonensis convocaretur. Epist. praefix. Conc. Chalced.

(a) *Sexcenta sunt in Ecclesiastica historia monumenta, ex quibus hujusmodi Pontificia asseritur potestas. Fortunatus, et Felix a Cypriano excommunicati ad Romanum Pontificem provocarunt.* Cyprian. lib. 1. ep. 3. *Athanasius Alexandrinus, et Marcellus Ancyranus ab Orientalibus depositi Romam confugerunt, ut in suas sedes restituerentur.* Sozomen. Lib. III. cap. 2. *Ipse Eutyches a Flaviano in Concilio Constantinopolitano damnatus ad Leonem Romam se recepit.*

(b) *Cyrillus Alexandrinus ubi Nestorium ad saniorem mentem frustra revocasse intellexit, rem omnem ad Caelestinum ex recepto Ecclesiarum more retulit. Et Patres Concilii Milevitani, postquam Pelagianam haeresim damnarunt, de tota re Innocentium I. certiorem fecerunt,* quo Apostolicae Sedis adhiberetur auctoritas, Epist. Concil. Milev. ad Innoc. 1.

(c) *A Julio Papa irrita pronunciata est depositio Athanasii a synodo Antiochena decreta.* Socrat. lib. 11. cap. 8. *Et depositio Ignatii ea de causa a Nicolao, et Adriano II. rescissa est, quod injussu Sedis Apostolicae fuerat peracta.* Synod. VIII. Act. I. *Caeterum ex*

Postremo et ad Romanum Pontificem pertinet Praelatorum postulatio, i. e. postulationis admissio (1), et Episcoporum translatio; utraque enim potestatis plenitudinem requirit; ut Episcopus nexu Ecclesiae, cui est alligatus, solvatur (2).

Praeter ea, quae hacteuus memoravimus, Romano Pontifici pleraque tamquam causae majores fuerunt reservata. Ita unius Pontificis est sedium Episcopalium institutio, unio (3), divisio, translatio (4), et suppressio (5) (*a*). Adeo autem ad solum Pontificem haec pertinent, ut sine mandato speciali ipse Sedis Apostolicae legatus ea attentare non possit. Quin et Pontificii juris censetur fundatio Monasteriorum (6), datio Coadjutorum (7), Ecclesiarum (8), ac Monasteriorum exemptio (9) (*b*). Et

jure novissimo Episcoporum depositio ad solum Romanum Pontificem pertinet, ita ut dentur judices litis instruendae causa, reservata Pontifici sententia definitiva. Trid. sess. XXIV. de Ref. cap. 5.

(1) *Cap.* Postulationem *de Postulat. Praelat. e* ῾ῧ.

(2) *Cap. ult. de Elect. e* ῧ.

(3) *Cap.* Sicut unire *8. de Excess. Praelat. e* ῧ.

(4) *Gregor. VII. Dictat. lib. 2.*

(5) *Can.* Ita nos *25. C. 25. qu. 2.*

(a) *Haec autem omnia sine Principis consensu peragi non possunt. Cum enim omnes Ecclesiae sint in Regis patrocinio non debet iniquiori jure Princeps censeri, quam quilibet privatus patronus, sine cujus consensu status Ecclesiae non mutatur. Cap.* Suggestum *20. de Jur. patron. e* ῧ.

(6) *Cap. un. de Excess. Praelat. in VI.*

(7) *Cap.* Pastoralis, *un. de Cleric. aegrot. eod. Conc. Trid. sess. XXV. de reform. cap. 7.*

(8) *Can.* Frater *52. C. 16. q. 1.*

(9) *Cap.* Ex ore *17. de Privileg. Cap.* Auditis *15. de Praescript. Cap.* Auditis *3. de in integr. restitut. e* ῧ.

(b) *Effectus exemtionis hi sunt 1. Ecclesia liberatur ab Ordinarii jurisdictione, et subjicitur Sedi Apostolicae. Cap.* Auctoritate *4. de Privileg. in VI. 2. Exemtus non potest transigere de privilegiis Ecclesiae suae, nec renunciare exemptioni, nec beneficio sine Pontificis venia, Cap.*Cum tempore *5. de Arbitr. Cap.* Dilecti *15. de Renunciat. Hinc Abbas exemptus in Episcopum electus electioni con-*

licet Episcopus possit quaedam jura Episcopalia remittere, non potest tamen Ecclesiam omnino eximere sine Pontificis auctoritate (1). Episcopus enim nequit propriam jurisdictionem abdicare; et abdicando eam non amittit, exemplo Praesidis, vel cujuslibet Magistratus (2).

Praeterea reservationis nomine Pontificii juris est canonizatio Sanctorum (3) (*a*), adprobatio Ordinum religiosorum (4), concessio indulgentiarum, quas *plenarias* vocant (5) (*b*). Quin et solus Pon-

sentire non potest sine permissu Pontificis, vel ejus a latere Legati. Cap. Si Abbatem *56. de Elect. in VI. 3. Abbates exempti non debent professionem subjectionis Episcopo. Cap.* Cum olim *14. de Privileg. 4. Exempti habent suos judices a Papa delegatos. Cap.* Cum Cappella *6. de Privileg. Hujusmodi judices ab Innocentio IV. et Bonifacio VIII.* conservatores *dicuntur. Cap. 2. et ult. de Offic. Delegat. in VI.*

(1) *Cap.* Cum venerabilis *21. de Censib.*

(2) *L.* Legatus, *de Offic. Praesid. L. ult. C. de Defens. Civit.*

(3) *Cap. 1. de Reliq. et Venerat. Sanctor. e* ꝫ.

(a) *Antiquitus Canonizatio martyrum ad singulos Episcopos in propria dioecesi pertinebat. Martyre in carcere, vel in agone mortuo, dies martyrii adnotabatur, et nomen in Ecclesia diplyca referebatur, ejusque memoriae celebrandae causa dies solemnis quoquo anno ab Episcopo adscribebatur.* Cyprian. *Ep. 54. et 37. Aliquando Episcopus condito martyre, vel Confessore, in canonizationis argumentum ejus tumulo altare, vel sacram aedem imponebat.* Sozomen. *Lib. XIII. Cap. 19. Canonizatio autem martyrum fiebat, praevio diligenti examine de fide, et gestis ipsorum, quo dicebantur Martyres* vindicari, *i. e. adprobari.* Optatus *lib. 1. Sed ob varios abusus, et casus inde emergentes Alexander III. canonizationem Sanctorum velut unam e majoribus causis ad Sedem Apostolicam revocavit. Cap. 1. de Reliq. et Venerat. Sanctor.*

(4) *Cap. ult. de Religios. Domib. e* ꝫ.

(5) *Cap. un. eod. in VI.*

(b) *Episcopi temporales indulgentias non ultra dies quadraginta certis in casibus largiri possunt. Cap.* Cum ex eo *15. e* ꝫ. *De Poenit. et Remiss. Cumque indulgentiae jurisdictionis sint, non ordinis, Episcopi electi, et confirmati eas concedunt. Cap.* Quod autem *4. eod. Ceterum Praelati inferiores indulgentias, nisi ex speciali Sedis Apostolicae privilegio, nequeunt impartiri, Cap.* Accedentibus *12. de Excessib. Praelat. e* ꝫ.

tifex potest facere potestatem, ut quis a quocumque Episcopo ordinetur, secundum regulas Concilii Tridentini (1). Uni etiam Romano Pontifici licet illegitimis potestatem largiri sacros ordines, et beneficia curata adsequendi; qui tamen ex Episcopi dispensatione possunt ad minores ordines et simplicia beneficia promoveri (2). Item unus Romanus Pontifex potest dispensare in defectu aetatis, quod ad ordines, et beneficia (3) non secus ac solus Princeps potest veniam aetatis concedere ad magistratus gerendos (4) (*a*). Itidem ex unius Romani Pontificis venia matrimonium intra vetitos gradus seu consanguinitatis, seu affinitatis contrahitur (5). Postremo, ut alia omnia mittam, ad Romanum Pontificem pertinet absolutio quorumdam atrociorum criminum, et dispensatio circa nonnulla vota a fidelibus noncupata (*b*).

Ex hisce praerogativis, quae Romanam sedem sequuntur, Romanus Pontifex sexcentis honorificis nominibus apud veteres inclaruit. Ita passim appellatur *Pater Patrum*, *Apex totius Episcopatus*, *Ecclesiae universalis Antistes*, *Caput omnium Episcoporum*, *et Ecclesiasticae unitatis centrum*. A seculo autem XI. auctoritate Gregorii in synodo Romana habita an. 1072. *Papae* nomen ita Pontificis proprium evasit, ut nemini illud assumere liceat (c).

(1) *Trid. Sess. VII. de Ref. Cap. 2.*
(2) *Cap. 1. de Fil. Presbyt. in VI.*
(3) *Cap.* Cum dilectus *32. de Elect.* e ij.
(4) *L.* Quidam *ff. de Re Judic.*
(a) *Scipio Africanus cum Aedilitatem peteret, intercedentibus tribunis, et annarias leges objicientibus*: Si me, *inquit*, omnes Quirites Aedilem facere volunt, satis annorum habeo. *Liv. lib. 25.*
(5) *Can.* Quaedam lex 20. *C. XXXV. Q. 2.*
(b) *Hujusmodi est votum castitatis perpetuae, ingrediendi Religionem adprobatam, peregrinationis ad limina Apostolorum, Jerosolymitanae, et ad S. Jacobum Compostellanum.*
(c) Papae *nomen antiquitus clericis omnibus communae erat. La-*

TITULUS XI.

De S. R. E. Cardinalibus.

Cardinalis olim dicebatur sive Episcopus, sive Presbyter, sive Diaconus, qui titularis esset, et primarius alicujus Ecclesiae beneficiarius. Sane Episcopus *Cardinalis* ab *Interventore*, seu *Visitatore* distinguitur, cui nimirum Ecclesia ad tempus commendatur (1). Singulae Ecclesiae suos habuerunt Cardinales: et in plerisque adhuc nomen retinetur (*a*). In Ecclesia Romana antiquitus septem fuerunt presbyteri Cardinales, quibus septem Parochiae datae in titulum; et septem Diaconi, qui Sacellis erant adscripti, quae Xenodochiis adhaerebant.

Jam vero seculo VIII. septem vicinarum Ecclesiarum Episcopis Ecclesiae Lateranensi addictis, qui vel sacris operarentur, vel Pontifici sacra facienti praesto essent, Cardinalium dignitas maxime inclarescere coepit. Ii cum saepius Romam de maximis Christianae Reip. rebus in consilium vocarentur, sensim sine sensu unum cum Clero Romano collegium evaserunt. Per amplissimas porro Pontificias legationes, per negotia Ecclesiastica in Pontificis consistorio definita, atque per Romani Pontificis electionem unis Cardinalibus a Nicolao II. an. 1059. com-

bente tempore soli Episcopi eo nomine designati. Seculo XI. exeunte proprio veluti jure unius Romani Pontificis factum est. Benedict. XIV. de Synod. Dioeces. Lib. 1. cap. 3.

(1) *Can.* Presbyteri *3. Dist. XXIV.*

(a) *In Ecclesia Mediolanensi, Ravennati, Lucensi, Neapolitana, aliisque cardinalium titulus servatur. Cl. Mazochius erudite more suo demonstravit, initia hujusce Neapolitani cardinalatus a VI. seculo repetenda, ejusque incrementa seculo XII. increbuisse. Neapolitanae porro Ecclesiae cardinales septem olim fuere totidem presbyteralibus titulis adfixi. At seculo XV. ipsis adjuncti sunt septem Diaconi cardinales, septem Diaconiarum titulis adscripti.* Vid. Mazoch. de Neap. Eccl. semper unic. *Diatrib. IV.*

missam, Cardinales supra ipsos Patriarchas adsurrexerunt.

Maxima dignitate auctos Cardinales clarissimis insignibus clarescere oportuit. Quare Innocentius IV. rubro galero eos ornavit. Tum Paulus II. rubrum pannum, quo equos sternerent, largitus, edicto vetuit, ne quis, praeter Cardinales, coccinea birreta uteretur. Tandem Urbanus VIII. titulo Eminentiae et Eminentissimi eos insignivit, quem cum Magistro Ordinis Hierosolymitani, et tribus Ecclesiasticis Electoribus communem habent.

Cardinales usque ad aetatem Honorii II. fuerunt quinquaginta tres. Inde is numerus decrevit, et incertus evasit. Electioni Nicolai III. vix septem Cardinales interfuerunt. Patres Constantienses, et Basileenses decreverunt, ut Cardinales numerum viginti quatuor non excederent. Leo X. ad sexaginta quinque eos perduxit. Ejus exemplum secuti sunt Paulus III., et Paulus IV., quorum alter usque ad septuaginta Cardinales numeravit. Postremo Sixtus V. vetuit, ne Cardinales septuagenarium numerum excederent. Ex iis autem quinquaginta sunt titulis presbyteralibus, quatuordecim Diaconis, et sex Episcopatibus suburbicariis adscripti.

Quae negotia olim in synodis expediebant Pontifices, ea in Cardinalium *consistorio* postea pertractari coeperunt. *Consistorium* autem Cardinalium est Pontificis senatus. Aetate Innocentii III. ter in hebdomada consistorium cogebatur, in eoque, partibus auditis, Pontifex controversias definiebat. Ex hisce Pontificis decisionibus pleraeque prodierunt epistolae decretales. At hodie ex Pontificis voluntate consistorium cogitur. Negotia autem, quae in eo pertractantur, non amplius contentiosa, sed politica sunt, et gratiosa; et in consistorio Cardinales non uti judices sedent, sed tamquam Pontificis consiliarii.

TITULUS XII.

De Legatis Ecclesiasticis.

Legatorum usus apud Romanos olim receptissimus fuit. Eorum autem alii ex amplissimo Senatorum ordine delecti (*a*); alii sine jurisdictione ad pertractanda negotia in provincias, et ad Reges mittebantur. In rem Ecclesiasticam sub ipsa Ecclesiae primordia adsciti sunt Legati. Quandoque enim Episcopi suis expediendis negotiis impares aliis vices suas demandabant vel apud Principes, vel apud Synodos. Horum exempla in Ecclesiastica Historia passim occurrunt (1). Sed quemadmodum in civili politia, ita et in Ecclesiasticis expediundis negotiis diversi fuere legati. Prae ceteris emicuere in Ecclesia legati Romani Pontificis, qui non unius generis fuerunt. Modo enim *Legati a latere* (*b*), modo *Legati nati*, modo denique *Legati missi* Pontificum negotia peragebant.

Celsioris quidem ordinis fuere legati *a latere*, qui et *Laterales* interdum vocantur, et dicuntur mitti *de comitatu*, *et familia Pontificis*. Hujusmodi legati ex coetu Cardinalium deliguntur; licet olim secus se res habuerit (*c*).

Legatorum a latere amplissima est potestas. Ipsi

(a) *Hujusmodi fuere legati Proconsulis*, *ac Praesidis*, *de quibus passim Icti in tit. Digestor.* de Offic. Praesidis. *Hi addi possunt*; *ab Imperatoribus mittebantur ad regendas provincias sibi reservatas*; *qui* Legati Caesarum *dici consueverunt.*

(1) *Videsis Petr. de Marca in C. S. et I. lib. V. c. 2.*

(b) *Occurrunt in can. V. Concilii Sardicensis, et can. 137. Cod. African.* Legati a latere: *sed ii longe ab illis distant*, *quos posterior aetas agnovit.*

(c) *Antiquitus a latere Pontificis missos fuisse Subdiaconos in Siciliam*, *Corsicam*, *ceterasque provincias*, *colligere licet ex epistolis S. Gregorii. Fallitur autem Cujacius ad* cap. 4. de Foro competenti, *qui* Corsicae defensorem, *ad quem Gregorius scribit. Ju-*

quidem in Beneficiorum collatione concurrunt cum Ordinariis Episcopis, eosque praevenire possunt; quod aliis Legatis ab Innocentio IV. fuit negatum (1). Praeterea potestatem habent absolvendi eos omnes, qui propter sacrilegas manuum injectiones in Clericos incidunt in canonem promulgatae sententiae (2). Quin et legatis a latere datur patronatui Ecclesiastico derogare; nam, ut ait Pontifex, *plus habet in concessione Legatus, quam in praesentatione patronus* (3). In patronatu autem laico nihil Legato a latere attentare licet (4). Postremo, praesente Legato a latere, reliqui in iisdem provinciis munere suo fungi prohibentur (5).

Jam vero Legatis a latere nulla facultas est admittendi resignationes, quas dicunt in *favorem*, nisi ex speciali mandato id ipsis fuerit concessum. Unius enim Pontificis est, eluere Simoniacam labem, quae hujusmodi resignationes inficere videtur. Quamvis enim laterales Legati Pontificia vice fungantur; tamen, quae *in signum privilegii singularis* Summo Pontifici sunt reservata, habere non possunt (6). Itidem prohibentur Legati a latere Episcopos transferre; duos Episcopatus unire, aut alteram Sedem Episcopalem alteri subjicere, unum Episcopatum in duos dividere, novos Episcopatus ac primitias instituere, Episcopos deponere (7). Quapropter quae

dicem secularem fuisse censet: revera enim fuit legatus a latere Pontificis, ut in Sicilia Petrus Subdiaconus, quem idem Gregorius nominatim ait Pontificiam repraesentare auctoritatem. Can. Valde necessarium *1. Dist. 94. apud Gratian.*

(1) *Cap. 1. h. t. in VI.*
(2) *Cap.* Quod translationem *4. ex eod.*
(3) *Cap.* Dilectus *6. ex eod.*
(4) *Cap.* Cum dilectus *28. eӡ. de Jur. patronat.*
(5) *Cap.* Volentes *8. ex h. t.*
(6) *Cap.* Quod translationem *4. ex h. t.*
(7) *Cap.* Nisi specialis *5. et Cap.* Quod translationem *4. ex eod.*

Legatis a latere non competunt ex generali Legatione; in iis expediendis speciali mandato est opus; ut proinde ex mandatis Apostolicis legatorum potestas quodammodo sit definienda (1).

Legati *Nati* dicuntur, qui non ratione personae, sed ipsius Sedis intuitu jus legationis in aliquibus provinciis exercent. Hujusmodi legati inducti initio videntur ex frequentibus delegationibus, quibus primariarum civitatum Episcopi a Romanis Pontificibus aucti sunt. Sensim factum est, ut Pontifices Metropolitarum precibus devicti, ipsis vices suas passim demandarent. Ceterum licet patriarchali Pontificis potestate aucti forent Metropolitani, Episcoporum tamen jurisdictionem sartam tectam servare jubebantur. Sane Leo M. Anastasio Thessalonicensi vicariatu delato, eidem in mandatis dedit ne Metropolitarum jura quidquam attentaret (2). Et Hormisda Apostolicae Sedis vices demandavit, *servatis privilegiis Metropolitanorum* (3).

Legati autem Nati patriarchalem Pontificis potestatem exercebant, salvis tamen Apostolicae Sedis juribus. Proinde Episcopis, et Clericis dabant litteras formatas; Metropolitas sibi subjectos ordinabant; synodum dioecesanam indicebant, eique praeerant; denique exortas controversias in synodo definiebant, gravioribus tamen causis Sedi Apostolicae relictis. Quamobrem Leo M. Anastasium Thessalonicensem increpuit, quasi delegationis patriarchalis fines excessisset in causa Attici Episcopi Epiri, eum monens vocatum in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis (4).

Inter legatos natos Augustissimus Rex Siciliae cen-

(1) *Glossa ad Cap. I. eod.*
(2) *Can.* Igitur *C. 25. q. 2.*
(3) *Leo M. epist. XII. edit. Quesnell.*
(4) *Can. Servatis 6. eod.*

setur. Ea legatio ab Urbano II. originem ducit. Sane is Pontifex Traynensi Episcopo vices suas demandaverat. Aegre admodum tulit hujusmodi vicariatum Rogerius Siciliae Comes, et apud Pontificem suas detulit querimonias. Urbanus, re melius perpensa; Rogerio, ejusque filiis, ac successoribus in perpetuum suas vices commisit. Inde porro factum, ut Siculi Reges Apostolicae Sedis legati nati evaderent, exercerentque per universam Siciliam omnem sacram jurisdictionem in Tribunali, quod a Siculis *Monarchiae* nuncupatur. Qui successores Pontifices, hujusmodi legationem aegre tulerunt; sed Siculi Reges mordicus eam semper retinuerunt. Tandem Benedictus XIII. constitutione sua litem composuit (1).

Porro legati, qui *Missi* dicuntur, vel ad Episcopos, vel ad Ecclesias, vel ad Principes mitti consueverunt. Hujusmodi legati vel pro re nata ad negotia pertractanda mittuntur, suoque munere functi legationem dimittunt; vel assidue apud Aulam morantur. Postremum hoc legatorum genus non uni negotio est addictum; sed omnibus negotiis, rebusque Ecclesiasticis apud Principes operam navat. Hi autem *Apocrisarii*, seu *Responsales* fuerunt appellati, quibus nulla jurisdictio fuit, nisi specialiter demandata (2).

Jam vero legatorum potestas, quae origine sua delegata erat, evasit ordinaria. Primus Clemens IV. jurisdictionem ordinariam diserte legatis tribuit (3). Ex ea autem jurisdictione manavit, ut legati sua statuta conderent, quae etiam, finita legatione, perdurarent; ut morte Pontificis legatio non finire-

(1) *Dupinius dans la defense de la Monarchie de la Sicile.*
(2) *De Marca lib. V. cap. 16. et 17.*
(3) *Cap.* Legatos *2. de offic. Legat. in VI.*

tur (1); atque de causis in prima instantia veluti judices ordinarii cognoscerent (2).

Antiquitus quidem legati ad Concilia, vel ad Principes missi nullo fastu, nullisque legationis insignibus distinguebantur. At mediis seculis tanta pompa legationes obibant legati, ut non defuerint, qui *insignibus* legationis induti *mille et quingentis evecti equitaturis*, *clericorum stipati catervis*, *militum vallati agminibus incederent* (3). Quin legatorum fastus procurationes ipsas vertit in rapinas, atque legati *in provincias ita sunt debacchati*, *ac si ad Ecclesiam flagellandam egressus sit Satan a facie Domini* (4). Sed immensa legatorum potestas sensim decrevit, et Tridentini Patres diserte ediserunt, ut legati, etiamsi fuerint a latere, Episcoporum jurisdictionem non pertubarent (5).

Apud nos Sedis Apostolicae Apocrisarii, quamdiu heic steterunt, Pontificum apud Regem negotia pertractabant, reditus Ecclesiarum ad Apostolicam Cameram spectantes colligebant, et judices erant delegati exemptorum ab Episcopi jurisdictione. Sed plurimis abhinc annis Apocrisarii a Regno Neapolitano absunt, et Pontifices per litteras, vel per legatos pro re nata missos cum Rege negotia expedire solent.

(1) *d. cap. 2. eod.*
(2) *Cap. 1. ex eod.*
(3) *Videsis Matth. Parisiens.*
(4) *Joan. Saresberiensis lib. V. de Nug. Curial. c. 16.*
(5) *Sess. XXIV. de reform. cap. 20.*

TITULUS XIII.

De Patriarchis.

Patriarchae praesunt Dioecesibus. Ii antiquitus dicti *Exarchi dioeceseos*, quo ab Exarchis provinciae distinguerentur (1), et *Archiepiscopi*, quo nomine olim Romanus, Alexandrinus, aliique primi Episcopi appellabantur (2).

De Patriarcharum origine pluribus disputant viri docti: Baronius, Valesius, Pagius Patriarcharum originem Apostolis referunt acceptam. Dupinius ante Concilium Nicaenum eos moribus institutos censet (3). At Launojus, Basnagius, Beveregius non ante Concilium Constantinopolitanum I. ipsos prodiisse contendunt. Si quid inter tantos viros mutire liceat, illud confidenter affirmaverim, Patriarchicam dignitatem ex Sedium amplitudine profluxisse, ex dignitate potestatem derivatam. Sane Romanam, Alexandrinam, Antiochenam Sedem a Petro Apostolorum Principe fuisse institutam, nemo unus ignorat. Inde factum, ut illae Ecclesiae ceterarum veluti matrices haberentur, cum ab ipsis Evangelii praedicatio primum prodierit.

Ita veluti constituto trium istarum Sedium principatu, si quae haereses in Ecclesiis erumperent, aut controversiae inter Episcopos suborirentur, ad matricem Sedem rem definiendam deferri par erat, cui ipsa fidei propagatio, et Ecclesiarum institutio accepta referebatur. Ea porro de causa principes orbis civitates delegerunt Apostoli, in quibus suas se-

(1) *Conc. Chalc. Act. XIV.*
(2) *Dupin. Dissert. I. de Antiq. Eccl. Discipl.*
(3) *Dupin. loc. cit.*

des collocarent, ut facilius fides propagaretur. Intelligebant enim, prostrata in urbibus principibus pagana superstitione, facile eam in exiguis oppidis ruituram. Quapropter non immerito affirmari potest, civilem Imperii politiam ad Patriarchatus institutionem nonnihil contulisse, ipsum autem ex fundatoris amplitudine dignitatem primum, deinde potestatem accepisse.

Patriarchalis autem potestas latissime extendebatur in dioecesanas Ecclesias. Quare ad Patriarcham pertinebat ordinatio Metropolitarum, Concilii dioecesani convocatio, eique praesidendi praerogativa, et a Metropolitarum sententia appellatio. Praeterea Patriarchae jus erat in Metropolitas, iisque cessantibus, in eorum suffraganeos animadvertere; in rebus gravioribus Metropolitas consilio juvare; eisque leges Principum Ecclesiam spectantes communicare; ac denique Metropolitanos ipsos sibi legatos constituere.

De Romano Patriarchatu.

Nicaeni Patres de Patriarcha Alexandrino ita edixerunt: *Antiqui mores serventur per Aegyptum, Lybiam, et Pentapolim, ut Alexandrinus horum omnium habeat potestatem, quia Episcopo Romano parilis mos est* (1). Celebratissimus hic canon plurimas inter eruditos turbas excitavit. Sane quemadmodum Alexandrinum Patriarchatum Nicaeni Patres definivere; ita Romano Patriarchatui multas tenebras offuderunt. Petrus de Marca, Thomassinus, Schelestratius Romanum Patriarchatum ad totum Occidentem extendunt. Dupinius, aliique decem provinciis concludunt, quae Vicario Urbico parebant.

(1) *Conc. Nic. can. VI.*

Salmasius vero, et Gothofredus Romanum Patriarchatum centesimum ab Urbe lapidem non excessisse contendunt.

Profecto Romanum Patriarchatum intra provincias, quae Vicario Urbico parebant, fuisse conclusum, pluribus demonstrari potest. Et primum quidem Romanus Patriarcha juribus patriarchalibus non ultra provincias Vicario urbico subjectas usus est. In reliquis Occidentis provinciis, et in ipsa Dioecesi *Italica*, quae Mediolanensi Antistiti subjiciebatur, Episcoporum, ac Metropolitarum ordinationes a Synodis provincialibus peragebantur. Ambrosius, qui ab Italiae Episcopis jussu Valentiniani apud Mediolanum congregatis ordinatus est (1), Vigilio, quem Episcopum Tridentinum ordinaverat, Ecclesiam ad Forum Cornelii commendat, *donec ei ordinetur Episcopus*: tum subdit: *occupatus diebus Quadragesimae ingruentibus tam longe non possum excurrere* (2).

Praeterea uti Romana Ecclesia Romanas dioecesanas synodos habebat; ita aliae Occidentis Ecclesiae suas synodos cogebant. In hisce Conciliis si quae causae Ecclesiae unitatem respiciebant, eae ad Romanum Pontificem referebantur: de rebus vero ad ipsas provincias peculiari jure spectantibus judicium ferri solebat. Ita Ambrosius in Concilio Italico Syagrii Episcopi Veronensis sententiam rescidit, qua virgo quaedam fuerat per illatam calumniam damnata (3).

Postremo Rufinus, qui IV. Ecclesiae seculo vixit, canonem Nicaenum sic vertit, ut Romano Patriarchae *Ecclesias suburbicarias* subjiciat. Ecclesiae autem suburbicariae eodem pacto dicuntur, ac *regiones suburbicariae*, quae scilicet nonnisi decem

(1) *Theodoret. lib. IV. cap.* 7.
(2) *Epist. XXVI.*
(3) *Ambros. epist. ad Syagr.*

continebantur provinciis, quibus Urbicus Vicariatus concludebatur (*a*). Ex quo patet, Rufini aetate Romanum Patriarchatum ultra provincias suburbicarias non patuisse. Ceterum, labente tempore, Apostolicis Vicariis institutis, Legatisque qua *natis*, qua *missis* passim receptis, ac Metropolitis palliorum necessitate praescripta, Romanus Patriarchatus plurimum se extendit donec Occidentem universum comprehendit.

De Patriarchatu Constantinopolitano.

Praeter tres Patriarchas Romanum, Alexandrinum, Antiochenum, tres alii fuere in Oriente, nimirum Ephesinus in Asiana, Caesareensis in Pontica, et Heracleensis in Thracica dioecesi. Ii quidem *Dioeceseὼn Exarchi* fuerunt appellati, nomine tantum a Patriarchis distincti, dignitate tamen et potestate pares. Nam et ab omnibus dioeceseωs Episcopis ordinabantur; et dioecesanas indicebant synodos, et alia patriarchica jura exercebant (1).

Porro ex tribus hisce Exarchatibus Patriarchatus prodiit CPolitanus. Byzantio ad Imperii sedem evecta, et politia Ecclesiastica civilem consequente, Episcopi Constantinopolitani dignitas increbuit, ut in Concilio Constantinopolitano I. *praerogativa honoris* post Romanum Pontificem ipsi fuerit collata (2). Ea honoris praerogativa inflati *novae Romae* Episcopi in Pontica, Asiana, et Thracica dioecesi

(a) *In Notitia Imperii Rom. de Vicarii Urbici potestate haec habentur*: Sub dispositione V. S. Vicarii Urbis Romae provinciae infrascriptae: Consularis Campaniae, Tusciae, et Umbriae, Piceni suburbicarii, Siciliae; Corrector Apuliae, et Campaniae, Brutiorum, et Lucaniae; Praesides Samnii, Sardiniae, Corsicae, et Valeriae.

(1) *Dupin. de* Antiq. Eccles. Discipl. *Dissert. II. §. 11.*

(2) *Conc. Constantinop. I. can. 3.*

jurisdictionem exercuerunt, invitis Episcopis. Tandem in Concilio Chalcedonensi (1), absentibus Romani Pontificis Legatis, confirmatae ipsi fuere honoris praerogativae, et patriarchalia jura concessa in Pontum, Asiam, et Thraciam. Rebus hisce novis intercessere Romani Pontifices, qui Chalcedonensi canone XXVIII. rejecto, Constantinopolitano Patriarchatui bellum indixerunt. Sed Episcopi Constantinopolitani, Aula favente, Patriarchalia jura exercere non destiterunt; donec tandem ipsi Romani Pontifices edixerint, ut post Romanam Ecclesiam Constantinopolitana primum locum obtineret, servata cuilibet Patriarchali Ecclesiae propria dignitate (2).

De Patriarchatu Hierosolymitano.

Ecclesia Hierosolymitana merus ab initio Episcopatus fuit. Ea tamen maximo semper in honore est habita; quia apud ipsam jacta sunt Christianae Religionis fundamenta. Ex eo factum, ut Episcopo Hierosolymitano *honoris praerogativa* fuerit a Nicaenis Patribus confirmata, Episcopo Caesareensi *propria dignitate servata* (3). Eo honore elatus Hierosolymitanus Episcopus cum ipso Caesareensis Metropolita, cui tamquam suffraganeus suberat, de primatu certare primum coepit. Tum Theodosio Jun. favente, jurisdictionem in Palaestinam, Arabiam, et Phoeniciam usurpavit. Magnis animis adversus Hierosolymitanos Episcopos decertarunt Caesareensis et Antiochenus, quorum jura attentabantur. Lis usque ad tempora Concilii Chalcedonensis fuit protracta. In eo Concilio partium consensu fuit constitu-

(1) *Conc. Chalc. can. 28.*
(2) *Conc. Lateran. IV. can. 5.*
(3) *Conc. Nicaen. can. 7.*

tum, ut Episcopus Hierosolymitanus tres Palaestinas sub potestate haberet, duae Phoeniciae, et Arabia Antiocheno Episcopo subessent (1). Ab aetate itaque Concilii Chalcedonensis quinque Patriarchae fuerunt, Romanus, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, et Hierosolymitanus.

Jam vero ubi orientales Episcopi in diversos errores prolapsi a Romanae Sedis communione descriverunt, Patriarchatibus discissis, ex sectarum diversitate diversi minores Patriarchae prodierunt. Hinc Maronita, Jacobita, Cophtus, aliique audiri coeperunt; quorum duo primi Antiocheni, postremus, qui unus Catholicus est, Alexandrini nomen affectarunt. Ex ruinis porro Episcopi Constantinopolitani Moschorum Patriarchatus emersit.

Qui autem in Occidente Patriarcharum Orientalium nomen praeferunt, titulo tenus tales sunt. Eorum origo eadem fuit, atque Episcoporum titularium. Licet enim Patriarchales Orientis Ecclesiae in errorum tenebris versentur, et barbarorum pareant imperio; pluribus tamen ex causis expedire visum est, ut successores Episcopos titulares haberent (2). His accenseri possunt minores quidam Patriarchae Occidentales, scilicet Aquilejensis sive Forojuliensis, Gradensis seu Venetus, quique seculo VI. beneficio Sedis Apostolicae fuit institutus Indiarum Patriarcha, et Patriarcha Lusitanus a Clemente XI. an. 1716, creatus.

(1) *Conc. Chalced. Act. VII.*
(2) *Tomass. P. I. lib. I. cap. 26.*

De Primatibus Occidentalibus.

Sub initio fortasse X. seculi in Occidente *Primates* apparuerunt, *Patriarchae* quandoque appellati. Deleto Romano imperio, civilique politia mutata, Ecclesiarum formam mutari oportuit. Inde pseudo-Isidorus pronunciavit, Apostolica auctoritate in nobilioribus urbibus *Primates* (1) constitui debere, quos et *Patriarchas* contra veterum sententiam vocat, et medios veluti statuit inter Metropolitanos, et Romanum Pontificem (2). Receptis autem per Occidentem Isidori mercibus, per Pontifices fuerunt creati Primates Bituricensis, Cantuariensis, Lugdunensis, Narbonensis, Armachanus, Pisanus, Bariensis, aliique, quibus a Metropolitarum judicio appellationes concessae, et jus datum anteferendae crucis. Ceterum Primates hodie sunt titulo tenus, si Lugdunensem excipias, ad quem appellationes deferuntur a sententia Metropolitanorum (3). In Regno Neapolitano Episcopus Salernitanus Primatis praerogativa auctus fuit ab Urbano II. an. 1099. in Metropolitas Acheruntinum, et Comsanum (4).

(1) *Can.* Provinciae 1. *Dist. XCIX.*
(2) *Can.* Si quis 15. *C.* 2. *q.* 6.
(3) *Petrus de Marca Dissert. de Primat. n.* 122.
(4) *Baron. ad ann.* 1099. *Ughell. in* Archiep. Salern.

TITULUS XIV.

De Metropolitanis.

Metropolitani diversis nominibus apud veteres designantur. Ii et Πρωτοι in Canonibus Apostolorum (1), et *Primae Cathedrae* a Patribus Eliberitanis (2), et primae sedis Episcopi a Concilio Carthaginiensi III. (3), et Ἐξαρχοι της επαρχιας a Patribus Sardicensibus (4), et *Seniores* (5) (*a*) ab Africanis appellantur (*b*). Sunt autem Metropolitani, qui Metropoli, i. e. primariae urbi alicujus Provinciae praesunt; quique propterea quibusdam prae ceteris et in ceteros provinciae Episcopos privilegiis, ac juribus fruuntur.

Metropoliticam dignitatem nonnulli Usserium, Be-

(1) *Can. Apost. 25.*
(2) *Conc. Eliberit. can. 58.*
(3) *Conc. Carthag. III. can. 26.*
(4) *Conc. Sardic. can. 6.*
(5) *Cod. African. can. 90.*
(a) *Africani Metropolitae ideo* Senes *fuerunt nuncupati, quia jus Metropoliticum de civitate in civitatem transibat, et seniori provinciae Episcopo deferebatur.* Cod. African. can. 84. *Tantum Carthaginiensis ratione sedis Metropolitanus habebatur.*

(b) *Hodie Metropolitanis* Archiepiscopi *nomen passim tribuitur. Antiquitus solis Patriarchis, atque ipsi Romano Pontifici id nomen datum. Act. I. II. et VI. Conc. Ephes. Labente tempore Patriarchae, atque insigniores quidam Metropolitae eo nomine appellati. Post seculum VIII.* Archiepiscopi *nomen omnibus Metropolitis, atque nonnullis etiam Episcopis promiscue tributum. Inde factum, ut apud Graecos recentiores longe plures essent Archiepiscopi, quam Metropolitani. Episcopis enim facile fuit speciosum* Archiepiscopi *nomen adsumere; quemadmodum difficile erat, subjectas aliis Ecclesias sibi subdere. Hac de causa nonnulli occurrunt Archiepiscopi nomine tenus, quibus nulli subsunt Episcopi. Hujusmodi sunt in Regno Neapolitano Rossanensis, Anxanensis, Nazarenus, et in Sardinia Arborensis.*

veregium, Hammondum, et Petrum de Marca sequuti ab ipsis Apostolis institutam contendunt. Alii vero post Dupinium moribus eam acceptam referunt, quae deinceps Conciliorum decretis firmata est. Sane post excessum Apostolorum non erat in provincia, qui certo jure, et auctoritate subortas controversias definiret. Inde e re visum est, adire Metropolitanae urbis Episcopum, qui auctoritate sua lites dirimeret. Ideo autem fortasse censuerunt veteres, ad Metropolitanos res controversas deferre, quia provinciarum incolae ad primarias civitates saepius convolabant. Apposite patres Antiocheni Metropolitas curam totius provinciae habere dicunt, *quod in metropolim undequaque concurrant omnes, qui habent negotia* (1). Huc et Apostolorum, vel Apostolicorum virorum accessit auctoritas, qui Ecclesias Metropolitanas instituerunt. Etenim ubi Catholici adversus haereticos disputabant, ad Ecclesiarum Apostolicarum auctoritatem provocare solebant; utpote quae sacrae doctrinae depositum majori religione custodire videbantur.

Episcopi provinciales, qui Metropolitis quodammodo subsunt, *suffraganei* ab Alexandro III. appellantur (2). Quemadmodum Episcopi in suis paroeciis nihil magni momenti agebant praeter sententiam Metropolitani; ita et Metropolita in negotiis expediendis sententia suffraganeorum utebatur (3). Ea profecto de causa bis in quolibet anno synodus provincialis cogebatur, ut *communi cunctorum decreto secundum Ecclesiasticam regulam comprobato, obtineat sententia plurimorum*, uti edixere Nicaeni Patres (4).

(1) *Conc. Antioch. can. 9.*
(2) *Cap.* Suffraganeis *4. de Elect. e* §.
(3) *Can. Apost. 35. Conc. Antioch. can. 9.*
(4) *Conc. Nicaen. can. 6.*

Jam vero plura antiquitus fuerunt Metropolitarum jura, eaque in tribus hisce praecipue consistebant, in jure ordinationis Episcoporum provincialium, in facultate convocandi Concilii provincialis, et in totius provinciae procuratione. Sane ad Metropolitanum olim pertinebat una cum Episcopis provincialibus Episcoporum electioni operam dare, eos ordinare, vel ordinandi facere potestatem (1). Quod si Metropolitanus ab Episcoporum ordinationibus cessaret, ab Episcopis provincialibus ad eas peragendas cogebatur (2). Praeterea Metropolitani erat synodum provincialem indicere, eique praeesse (3). Provincialem autem synodum convocabat Metropolita litteris *tractoriis*, et *synodicis* ad Episcopos provinciales datis; qui convenire debebant: quod si sine justa causa venire detrectassent, canonicis se poenis obbligabant (4). Postremo ad Metropolitanum pertinebat totius provinciae cura. Inde factum, ut Episcopi provinciales nihil momentosum sine Metropolitani auctoritate gererent (5), et Metropolitanus in Concilio provinciali judex suffraganeorum esset (6), appellationesque ab Episcoporum sententia reciperet (7). Quin non licebat Episcopo suffraganeo sine Metropolitani venia ab Ecclesia discedere (8); et si Episcopi culpa, aut malitia Ecclesiae alicui detrimentum inferretur, Metropolita vel Episcopum ad officium compellebat, vel laboranti succurrebat Ecclesiae (9).

(1) *Conc. Nicaen. can. 4. et Conc. Laodicen. can. 12.*
(2) *Conc. Chalced. can. 25.*
(3) *Conc. Antioch. can. 20.*
(4) *Conc. Laod. can. 40. Conc. Chalced. can. 19.*
(5) *Conc. Antioch. can. 9.*
(6) *Conc. Chalced. can. 9. et 17.*
(7) *Conc. Nicaen. can. 5. Conc. Antioch. can. 12.*
(8) *Conc. Antioch. can. 11. et 13.*
(9) *Can. 2. Syn. VII. Conc. Toletan. III. can. 20.*

Ceterum hodie Metropolitani potestas maximopere est imminuta. Sane jure novo Metropolitis in suffraganeas dioeceses jurisdictio tantum datur in causa appellationis, visitationis, et devolutionis (1). At jure novissimo Metropolitae suffraganeos quolibet anno ad provincialem synodum cogere possunt (2); et ab Ecclesiis absentes etiam per fructuum subtractionem ad residendum compellere (3). Quod si vero Metropolitanus provinciales paroecias visitare velit, id quidem ei non licebit, nisi prius suam lustraverit Ecclesiam; et visitationis causa fuerit in provinciali synodo probata (4).

TITULUS XV.

De Auctoritate, et Usu Pallii.

Quod olim Imperatorium ornamentum fuit, temporis lapsu pallium inter sacra insignia locum habuit. Sane ex liberalitate Principum Imperiali pallio Patriarchae, ac Metropolitani condecorati sunt. Id luculentissime apparet ex Anthimi Patriarchae Constantinopolitani facto, qui e Constantinopolitana sede dejectus, *pallium, quod habuit, Imperatoribus* reddidit (5). Hodie Pallium ab uno Romano Pontifice accipitur: quod ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi IV. fuit constitutum (6).

Jam vero Pallium nihil aliud est, nisi humerorum amiculum ex agni candida lana pertextum, demissum a collo ad pectus, et humeros, per qua-

(1) *Cap. 1. de Offic. Legat.* e ℥.
(2) *Conc. Trid. sess. XXIV. de Reform. cap. 2.*
(3) *Conc. Trid. sess. XXIII. de Ref. cap. 1.*
(4) *Conc. Trid. sess. XXIV. Cap. 3.*
(5) *Liberatus Brev. cap. 21.*
(6) *Cap.* Antiqua *23.* e ℥. *de Privileg.*

tuor fasciolas utrimque pendentes, cujus extremis nigrae cruces intexuntur. Per pallium autem significatur Pastoralis officii sollicitudo, et amplitudo potestatis. Apposite Innocentius III. in *Pallio Pontificalis officii plenitudinem cum Archiepiscopalis nominis appellatione conferri*, rescripsit (1). Dicitur *sumtum ex corpore B. Petri*, quod per unam noctem super altari Ss. Petri ac Pauli deponitur. Isthaec disciplina seculo XI. habente recepta jam erat (2).

Unis Metropolitanis Pallium conceditur (*a*). Illud autem adeo Metropoliticae dignitati adhaeret, ut ne nomen quidem Metropolitani mereatur, qui pallium non accepit. Quin et sine Pallio Metropolitanus nec concilium provinciale convocare, nec chrisma conficere, nec Episcopos consecrare potest, nec alia omnia expedire, quae sine Missae sacrificio non peraguntur (3). Potest tamen ante acceptum Pallium suffraganeis permittere, ut suffraganeum consecrent (4).

Intra tres a consecratione menses pallium peti debet. Et quidem enixis precibus pallium ipsi Metropolitani Romam profecti petere debebant olim: eaque disciplina stabat ineunte sec. XII. Lapsu temporis Metropolitis concessum, ut Romano itinere abstinerent, si vellent, et vicaria opera pallium peterent. Si quod crimen fuerit Metropolitano objectum pallii concessio ea de causa non retardatur, nisi accusatores se poenis, si fefellerint, offerentes, cri-

(1) *Cap.* Nisi specialis *3. h. t.*
(2) *Cap.* Significasti *4. de Elect.*
(a) *Non desunt tamen Episcopi, qui pallio ex privilegio decorantur. Hujusmodi sunt Hostiensis, Papiensis, Lucensis, Quinqueclesiensis, Bambergensis. Vid. And. Vallens. h. t. §. 1. n. 6.*
(3) *Cap.* Quod sicut *28. eod.*
(4) *Cap.* Suffraganeis *11. eod.*

men intra duos menses promiserint probaturos (1). Ubi autem pallium datur, fidei, et obedientiae sacramentum erga Summum Pontificem Metropolitanus jurare debet (2).

Porro solus Romanus Pontifex ob suam jurisdictionem pallio ubique, ac semper utitur (3); ceteris intra suae jurisdictionis fines statis tantum diebus in sollemni Missarum celebratione uti permittitur. Pallium autem ipsam Metropolitani personam, ejusque Ecclesiam non egreditur, ut nemini commodari possit. Adeo vero Metropolitani personae adhaeret pallium, ut ipse cum eo sit sepeliendus (4); et, si Ecclesiam mutet, pro nova Ecclesia novum sit ei pallium impetrandum.

TITULUS XVI.

De Episcopis.

Episcopi, sive *Inspectores*, observandis, et corrigendis moribus constituuntur (5). Ipsi apud veteres honorificis plerisque nominibus fuerunt designati. Hinc et *Apostolorum successores*, et *Ecclesiae Principes*, et *Summi Sacerdotes*, et *Patres patrum*, et *Christi Vicarii*, et *Angeli Ecclesiarum* frequenter audierunt.

Jam vero Episcopi Sacerdotii plenitudinem per ordinationem accipiunt, sive in parvis oppidis, seu in amplioribus urbibus sint constituti: *Ubicumque enim fuerit Episcopus sive Romae, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, ejusdem est me-*

(1) *Extrav.* Malitiis *h. t. in Commun.*
(2) *Can.* Optatum *4. Dist. C.*
(3) *Cap.* Ad honorem *4. h. t.*
(4) *Cap.* Ad hoc *2. eod.*
(5) *Can.* Cleros *1. §. 8. Dist. XX.*

riti, *ejusdem est sacerdotii . . . Omnes sunt Apostolorum successores*, ait Hieronymus (1) (*a*). Christus profecto, quod a Patre accepit sacerdotium, Apostolis infudit; et per Apostolos ad eorum successores transmisit. Ratio autem successionis ea est, ut ultimi successores a primo auctore arcessant, quod a suis decessoribus acceperunt. Si secus statuas, successio in novam institutionem degenerabit. Hinc Paulus diserte pronunciat, *Sp. Sanctum posuisse Episcopos regere Ecclesiam Dei* (2). Idem habet Cyprianus: *Apostolos*, *i. e. Episcopos Dominus elegit* (3). In eamdem sententiam iverunt Hieronymus (4), Nicolaus I. (5), et Pacianus (6). In Episcopatu Sacerdotii plenitudo continetur, salvo Romani Pontificis jure, et salva Primatus praerogativa ab ipso Christo ipsi collata. Inferiores Sacerdotes Episcoporum veluti vicarii in partem sollicitudinis vocantur, non in plenitudinem potestatis. Hinc secundi ordinis sacerdotes nihil, inconsulto Episcopo, moliri possunt; quod saepius veteres Ecclesiae Patres inculcant.

Episcopalis porro potestas origine sua nullis terminis fuit conclusa, cum Apostolos Christus ad praedicandum miserit in *universum mundum* (7). Proinde Episcopatus *unus* dicitur a Cypriano concordi

(1) *Can.* Legimus *29. Dist. XIII.*

(a) *Patres Sardicenses ita edixerunt:* Non licet simpliciter Episcopum constituere in aliquo pago, vel parva urbe . . . . ne Episcopi nomen, et auctoritas vilipendatur. *Can. VII. Sed legem vicere mores; et in ipsa veteri disciplina Nazianzus, Cucusus, Geras, Dolicha, Olbia parva oppida suos Episcopos habuerunt.*

(2) *Actor. XX.*

(3) *Cyprian. ep. LXV.*

(4) *Ep. I.*

(5) *Ep. XLVII.*

(6) *Ep. III.*

(7) *Matth. XVI. 15.*

Episcoporum diversitate diffusus: *Nemo fraternitatem seducat, nemo fidei veritatem perfida praevaricatione corrumpat: Episcopatus unus est, cujus in solidum pars a singulis tenetur* (1). Cum vero isthaec Ecclesiae in solidum administrandae forma confusione induceret, ipso Apostolico aevo singulorum Episcoporum potestas, certis fuit conclusa limitibus. Ad rem idem Cyprianus: *singulis pastoribus portio gregis fuit adscripta, quam regat unusquisque, et gubernet* (2).

Semel autem circumscriptis paroeciarum finibus, in alienis Ecclesiis Episcopi quidquam moliri prohibentur. Antiocheni Patres omnia ab Episcopo in alieno territorio peracta irrita declarant, eumque depositione coërcent (3). Et Patres Tridentini edicto suo vetuerunt, ne Episcopi cujusvis privilegii praetextu in alterius dioecesi, nisi Ordinarii venia impetrata, Pontificalia exerceant. Si secus factum Episcopos ab exercitio Pontificalium, et ordinatos ab ordinum exercitio ipso jure suspensos pronunciarunt (4). Utcumque autem haec vera sint, ubi salus Ecclesiae id postulaverit, Episcopi ubique evangelizare non prohibentur. Salus enim Ecclesiae suprema lex est; et, necessitate urgente, leges humanae cessant: *Etsi pastores multi sumus, unum tamen gregem pascimus*, ita Cyprianus. Hinc Athanasius ab exilio redux in quibusdam Ecclesiis extra suam dioecesim positis ordinationes fecit (5), quod et de Eusebio Samosatensi refert Theodoretus (6).

In Episcopali potestate ea, quae sunt ordinis, di-

(1) *Cyprian. Epist. LXVIII. ad Stephan.*
(2) *Cyprian. Lib. de Unit. Eccles.*
(3) *Conc. Antioch. can. 13. et 22.*
(4) *Trid. Sess. VI. de Ref. cap. 5.*
(5) *Socrat. Lib. II. Cap. 24.*
(6) *Theodoret. Lib. IV. Cap. 12.*

stingui solent ab iis, quae sunt jurisdictionis. Ordinis potestas ea complectitur, quae characterem Episcopalem requirunt; jurisdictionis potestate ea omnia comprehenduntur, quae ordinationem Episcopalem non desiderant. Separata ab ordinatione Episcoporum confirmatio eam distinctionem invexit. Antiquitus enim simul in synodo provinciae electio confirmabatur, et electo manus imponebantur. Labente tempore, confirmatio a consecratione disjuncta est, et inde opinio invaluit, sola confirmatione Pastorem Ecclesiae constitui. Hinc duplex exorta est potestas, scilicet *jurisdictionis*, quae per confirmationem confertur, et *ordinis*, quae ab ordinatione descendit. Ea distinctione non contenti Glossatores, discrimen excuderunt inter legem *jurisdictionis*, et legem *dioecesanam*. Nomine legis jurisdictionis designarunt potestatem ordinis, et juris dicundi, quaeque in dando, et faciendo consistit: nomine legis dioecesanae intellexerunt potestatem in res Ecclesiasticas, et jura ad Episcopum spectantia. Ceterum ab ordine manat Regum, Altarium, et Ecclesiae consecratio, ejusque post pollutionem expiatio (1); Chrismatis, et olei catechumenorum, atque infirmorum confectio; ordinum collatio; virginum sacrarum lectio. Ab jurisdictione venit facultas corrigendi, beneficia conferendi, execrandi, judicandi, puniendi, examinandi. Ad legem vero dioecesanam pertinet jus exigendi synodaticum, sive Cathedraticum, h. e. tributum in honorem Cathedrae Episcopalis solvendum, item jus exigendi procurationem, census, quartam funeralium, quartam decimationum (2), quibus praestandis Monasteria non obligantur, ideoque a lege Dioecesana *exemta* dicuntur.

(1) *Cap. un. de Consecr. Eccles. in VI.*
(2) *Cap.* Conquerente *16. de Offic. Jud. Ordinar.*

Porro cum Episcopus corrigendis moribus in sua Dioecesi sit constitutus, non solum ipse criminibus vacare debet, sed quamlibet aliorum offensionem, i. e. scandalum, et suspicionem declinare. Quare improbos devitare debet, ne suo commercio vitam illorum adprobare censeatur, et nimiam aliorum familiaritatem effugere, ne sibi reverentiam minuat. Quin et mansuetudine potestatem temperabit, et prudentiam ad dissidentium animorum conciliationem adhibebit, pacemque litibus semper anteponet (1). Opes autem ad pauperum levamen, et ad excipiendos hospites, non ad inanes sumtus conferet. Tempus, quod ei superest, vel orando, vel concionando traducet. Severitatem caritate mulcebit. Indumenta culta, et munda sumet, quae luxu simul careant, et sordibus, ut invidiam pariter, et contemptum caveat. Eo denique se gestu, atque habitu oris proferet, ut condita in animo virtus exterioribus signis ad aliorum imitationem explicetur (2).

TITULUS XVII.

De Episcopalibus Muneribus.

Inter Episcopalia munera primum locum tenet verbi Dei praedicatio. Idcirco ne Episcopus rem familiarem per se gerat, ut lectioni, orationi, et verbi praedicationi totus incumbat, praescribit Concilium Carthaginiense IV. (3). Quare Episcopus, qui docendi curam insuper habet, excommunicatur; et, si diutius in ea culpa torpuerit, deponitur (4). Hoc jure Episcopus tum aliis diebus, cum maxime do-

(1) *Can.* Licet *4. Dist. XLV.*
(2) *Distinct. XL. et seqq.*
(3) *Can.* Episcopus *6. Dist. LXXXIII.*
(4) *Can. Apostol. 57.*

minicis clerum, ac populum docere debet (1). Praedicandi autem munus adeo proprium est Episcopi, ut in Ecclesia Latina non licuerit presbyteris, ad populum dicere, praesente Episcopo. Primus Augustinus a Valerio Hipponensi praedicandi potestatem coram ipso Episcopo adhuc presbyter accepit (2). In Ecclesiis vero Orientalibus, utcumque presbyteri praedicationis ministerio functi legantur etiam coram ipsis Episcopis; tamen praedicandi ratio fuit distributa, ut ad solos Episcopos doctrina fidei, ad presbyteros morum, ad diaconos disciplinae institutio pertineret (3) (*a*). Ceterum cum ob varias occupationes non sufficerent Episcopi praedicationis ministerio, viros sibi idoneos adsumserunt in partem laboris, et dispensationis verbi (*b*). Quin in Concilio Lateranensi IV. constitutum, ut Episcopi tam in Cathedralibus, quam in Collegiatis Ecclesiis idoneos viros sibi eligerent adjutores in officio praedicationis (4). Tridentini vero Patres edixerunt, ut Episcopi, si legitimo vetentur impedimento, in Ecclesia Cathedrali pro lubito idoneos viros deligant praedicationis munere functuros: in reliquis vero Ecclesiis, parochis a praedicatione justa ex causa cessantibus, praedicandi munus aliis deferant, eorum

(1) *Conc. Trullan. can. 19.*
(2) *Possid. vit. August. cap. 5.*
(3) *Can.* Audire *2. Dist. XXV.*
(a) *In Oriente sub tempora Concilii Chalcedonensis cum Monachi passim turbas excitarent, et praedicandi potestatem sibi arrogarent, ne ea amplius uterentur, vetuit Leo I. Ep. 63. ad Theodoret. Episc. Cyri, et Ep. 82. ad Julian. Episc. Coensem.*
(b) *In Ecclesia CPolitana instituti fuere concionatores* διδασκαλοι, *qui Patriarchae vice populum docerent, eisque ex Novella Alexii Comneni decretae annonae, et proximus gradus post quinque officiales Patriarchae, quos* exocatacoelos *vocabant, uti refert Balsamo ad can. 19. Conc. Trullan.*
(4) *Cap.* Inter cetera *de Offic. Ordinar.* e ꝫ.

tamen impensis; qui eas praestare vel obstringuntur, vel solent (1).

Ceterum cum verbi Dei praedicatio unis Episcopis fuerit a Christo demandata, iis tantum competit eam delegandi potestas. Cum vero Regulares hujusmodi facultatem, invitis Episcopis, sibi per plures annos asseruissent, re ad Concilium Tridentinum delata, statuerunt Patres, ut in Ecclesiis suorum Ordinum ministerio verbi defungerentur Regulares, modo Superiorum suorum venia ab Episcopo benedictionem impetrarent (2). Mox vero iidem Patres ad orationem Episcopi Fesulani, re accuratius perpensa, edixerunt, *ut nullus secularis, sive regularis, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo, praedicare praesumat* (3).

Alterum Episcopale munus est Sacramentorum administratio. Hujusmodi sane munus antiquitus ipsi Episcopi obiverunt. Aucto deinceps fidelium numero, eorum Sacramentorum, quae ab Episcopali non pendent charactere, administrationem presbyteris demandarunt, reservata sibi ordinatione, quae jure divino adeo Episcoporum propria est, ut aliis communicari nullo pacto queat (4) (*a*). Nec minus ad

(1) *Sess. XXIV. de Ref. cap. 4.*

(2) *Trid. Sess. V. Ref. cap. 2.*

(3) *Sess. XXIV. de Ref. cap. 4.*

(4) *Hieron. Ep. 85. ad Evagrium, Chrysostom. Hom. XI. in I. ad Timot. 3. Conc. Nicaen. can. 18. Antioch. can. 9. Chalcedon. can. 2.*

(a) *Sed in Sacramentorum administratione Episcopale officium maximopere eluxit in poenitentia publica indicenda, et poenitentibus reconciliandis.* Conc. Carthagin. II. can. 3. Conc. Agathense can. 44. *Hoc jure presbyter non potest poenitentiam publicam admittere, nisi ex mandato Episcopi, vel, eo absente, propter necessitatem in extremo vitae discrimine.* Conc. Carthag. III. can. 32. Conc. Eliberit. c. 32. *Ex quo Novatiani Ecclesiam perturbarunt poenitentiam lapsis denegantes, in singulis Ecclesiis Episcopalibus instituti sunt presbyteri poenitentiarii, qui exomologeses audirent,*

Episcopos proprio jure pertinet consecratio Ecclesiarum, et Altarium (1), itemque consecratio Olei Catechumenorum, et Infirmorum (2), benedictio Abbatum, benedictio sollemnis, neophytorum confirmatio, et alia hujusmodi (3).

Inter Episcoporum officia non ultimum sibi vindicat locum Oratio. Tanti ea res Apostolis fuit, ut, mensarum, et viduarum cura in Diaconos rejecta, *orationi*, et ministerio verbi operam omnem suam dederint. Quapropter Episcoporum est, pro ovibus suis sacrificium offerre (4), publicas preces indicere, orationum formulas concipere, quaeque minus Evangelicae doctrinae, ac pietati conveniunt, abolere, aliaque hujusmodi peragere.

Ex sacro autem imperio Episcopi circa sacra jus dicunt, et in sontes animadvertunt. Proinde con-

et poenitentiam publicam admitterent. Socrates *l. V. cap. 19. Diu duravit institutum poenitentiarii in Ecclesia CPolitana, donec ob stuprum matronae poenitenti a Diacono in Ecclesia illatum poenitentiarius a Nectario exauctoratus, ususque poenitentiae publicae sublatus est.* Socrat. loc. laud.

In Ecclesiis Occidentalibus non defuere poenitentiarii; et in Ecclesia Rom. Poenitentiarius ea fulget dignitate, ut ex ipso Cardinalium collegio adsumatur, ejusque officium morte Pontificis non expiret. Clement. Ne Romani §. eo tamen ipso proviso *de Elect. Eo munere cum laude functus est Raymundus de Pennaforti, cujus opera usus est Gregorius IX. in Decretalium collectione. Adeo autem necessarium visum est Poenitentiarii officium in opem Episcoporum, ut in Concilio Lateranensi IV.sub Innocentio III. lex dicta sit Episcopis, ut in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis idoneos viros sibi adsciscerent, qui confessionibus audiendis, et poenitentiis praescribendis praeessent. Cap.* Inter cetera *De Offic. Ordin. e ꝫ. Quin Concilium Tridentinum edixit, ut in omnibus Cathedralibus Ecclesiis Poenitentiarius cum unione praebendae proxime vacaturae ab Episcopo instituatur. Sess. XXIV. de Reform. cap. 8.*

(1) *Can.* Nemo. *9. Dist. 1. de Consecrat.*
(2) *Innoc. I. Epist. ad Decent.*
(3) *Hieron. contr. Lucifer. cap. 4.*
(4) *Conc. Trid. Sess. XXIII. de Reform. cap. 1.*

troversias de fide, et moribus in dioecesi excitatas dirimunt, Ecclesiasticam politiam canonibus constituunt, legum Ecclesiasticarum veniam indulgent, ab iis tamen abstinentes, quae Rom. Pontificibus sunt reservata; de criminibus Ecclesiasticis cognoscunt, Ecclesiasticasque poenas infligunt, omnemque sacram jurisdictionem exercent.

Ceterum licet ad Episcopos omnium Christianorum cura pertineat; peculiari tamen ratione pauperes (*a*), orphanos, viduas, hospites (*b*) prosequi ipsi debent. Hujusmodi peculiaris Episcoporum cura eos quoque complectitur, qui duriori se vitae manciparunt. Tales sunt virgines Deo dicatae (*c*), et monachi, quos Episcopis maximopere commendarunt Chalcedonenses Patres (1); quamvis posteriori aevo id potis-

(a) *Ideo ad Episcopum in primis cura pauperum pertinet, quod bona Ecclesiae, quorum is dispensator est, sunt pauperum patrimonium. Quare in singulis Ecclesiis Episcopalibus habebatur* matricula, *in qua pauperes descripti erant, qui Ecclesiae sumptu alebantur; quique propterea* Matricularii *fuerunt appellati.* Greg. Turon. *p. 7. c. 29.* Flodoard. *Lib. I. Hist. Rhemens. c. 18.*

(b) *Felicioribus seculis Episcopi certatim xenodochia, et ptochia pro suscipiendis peregrinis, et pauperibus in Ecclesiae ambitu collocare solebant,* Epiphan. *Haeresi 75.* Nazianzen. *Orat. XX. n. 91. Xenodochiis; et Ptochiis Xenodochi, et Ptochotrophi praefecti, qui inter officia Ecclesiastica numerantur. L.* Omnem *42. §. 9. C. de Episc. et Cleric. Hinc clerici ptochiis adscripti in potestate sunt Episcopi.* Conc. Chalced. *can. 8. et Hospitalia ipsa pertinent ad Episcopi sollicitudinem, nec aedificari solent praeter ejus sententiam. Cap.* de Xenodochiis *3. Cap.* Adhaec *4. de Religios. Domib.*

(c) *Episcopi solius est virgines velare, et consecrare.* Conc. Carthag. II. *can. 5. Quemadmodum vero ad Episcopum pertinet, velare virgines, ita et eidem cura virginum incumbit. Hanc inter graviores molestias Episcopatus refert* Chrysostomus lib. 3. *de Sacerd. Ceterum cum Episcopi in varias Episcopalis muneris partes distracti curandis virginibus non sufficerent, viros aetate, et moribus insignes virginum choro praefecerunt. Vide can.* Qui religiosis *C. 18. qu. 2. quem Gratianus male laudat ex Conc. Carthag. IV. cum potius Conc. Hispalensi II. sit adscribendus can. 2.*

(1) *Conc. Chalc. can. 14.*

simum monachi operam dederint, ut Episcoporum curam, et jurisdictionem defugerent.

Nec porro illa praetereunda videtur officii Episcopalis pars, qua dissidentes Christianorum animos in concordiam revocare jubentur, litesque componere ex aequo, et bono. Id ex Apostoli verbis (1) plerique Patrum derivarunt, praesertim Augustinus, cui potissima cura fuit, lites inter fratres, prout melius aequius, definire. Hujusmodi Episcopali judicio eam adhiberi reverentiam voluere Principes, ut ab eo provocandi jus esse noluerint (2). Sed Episcoporum arbitria cum in forenses tricas degenerassent, in causis laicorum omnino cessarunt.

Postremo ad Episcopale officium pertinere censuerunt veteres, pro reis apud magistratus deprecari vel liberationem, vel poenarum mitigationem. Ea autem in re eluxit maximopere Ambrosii, et Augustini officium, qui saepe veniam reis a magistratibus exorarunt.

Quae hucusque memoravimus Episcoporum munia satis superque demonstrant, Episcopos ad residendum in sua Ecclesia obstringi. Id quidem Tridentini Patres apertissime definiverunt. Ii enim quemadmodum maximo studio divinum praeceptum inculcant, quo Episcopi in pastoralia munia incumbere debent, et ita ab illis nequaquam impleri ea posse statuunt, qui gregi suo non assistunt, sed eum mercenariorum more deserunt. Tantum eos abesse sinunt duobus, aut tribus mensibus in singulis annis, ubi tamen *Christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiae, vel reipublicae utilitas* id postulaverit, et legitimae absentiae causa fuerit a Rom. Pontifice, aut a Metropolitano,

(1) *I. ad Cor. 6.*
(2) *L.* Episcopale judicium 8. *Cod. de Episc. Audient.*

vel, eo absente, a Suffraganeo Episcopo antiquiore in scriptis probata. Ceterum si absentia inciderit propter aliquod munus publicum Episcopatibus adjunctum, eam ne significari quidem Metropolitano Patres voluerunt (1).

TITULUS XVIII.

De Visitatione Dioecesis.

Episcopus ratione Episcopalis jurisdictionis Ecclesias causa correctionis visitare debet, ait Innocentius III. (2). Id *antiqua consuetudo* dicitur a Patribus Concilii Tarraconensis apud Gratianum (3). Christus nempe Apostolorum Magister, et Apostoli hac in re exemplo suo praeiverunt. Ille circuibat civitates, et castella Judeae, ac Samariae (4); hi vero peragrabant civitates, et vicos, ut fidem confirmarent (5). Inde factum, ut primaevae aetatis Episcopi in visitationis munere toti fuerint. Rem accurate more suo demonstrat Ant. Dadinus Alteserra (6).

Visitatio autem, quae est praecipuum Episcoporum munus, eo respicit, ut expendantur ea omnia, quae pertinent ad curam animarum, ad Sacramentorum administrationem, ad cultum, ornatum, et reparationem Ecclesiarum, ad clericorum correctionem, instructionem plebis, et fidelium consignationem (7). Id adeo proprium Episcoporum est, ut

(1) *Conc. Trid. Sess. XXIII. de Ref. cap. 1.*
(2) *Cap.* Cum venerabilis *21. de Censib.* c ꝟ.
(3) *Can.* Decrevimus *10. C. X. I.*
(4) *Luc. X.*
(5) *Actor. IX. et XXXII.*
(6) *Alteserr. de Jurisdict. Eccles. lib. II. cap. 18.*
(7) *Can.* Placuit *1. Can.* Relatum. *C. X. q. 3. Trid. sess. X de Reform. cap. VII, sess. XXI. c. 3.*

ipsas Ecclesias exemptas, Episcopali visitationi subjecerint Tridentini Patres; qua in re tamquam Sedis Apostolicae delegati habentur Episcopi (1).

Ex decreto itaque Patrum Tridentinorum visitant Episcopi Capitula Cathedralia, quantumvis exemta (2), beneficia omnia Ecclesiastica curata, et Ecclesias omnes sive regulares fuerint, seu seculares, etiamsi *nullius* esse dicantur (3). Visitant quoque monasteria commendata, in quibus regularis disciplina non viget, quemadmodum et beneficia omnia tam curata, quam non curata secularia, vel regularia quovis modo commendata (4). Itidem Episcopis a Tridentinis patribus potestas facta est visitandi clericos omnes exemptos, et monachos, ubi extra monasterium degentes deliquerint (5). Quin et Episcopali visitationi subjecerunt Tridentini Patres hospitalia, collegia, et confraternitates quascumque laicorum, modo non sint immediate sub regia protectione; quo sane casu regia venia est opus. Ceterum decretum de visitandis hospitalibus, ceterisque locis piis per pacta conventa inter Carolum Borbonium, et Benedictum XIV. ita fuit restrictum, ut Episcopis liceret Ecclesias, Estauritas, Cappellas, aliaque loca pia a laicis administrata in spiritualibus visitare (6).

Visitationes autem plures singulis annis, si ita expedierit, instituere debent Episcopi. Quo enim frequentius medici aegrotis praesto sunt, eo facilius morbi curantur. Verum in visitandis dioecesibus cum

(1) *Trid. sess. X. de Reform. cap. 8. sess. XIII. cap. 3.*
(2) *Trid. sess. VI. de Ref. cap. 2.*
(3) *Trident. sess. VII. de Ref. cap. 7. et 8., et sess. XXI. de Ref. cap. 9.*
(4) *Trid. Sess. XXI. de Ref. c. 8.*
(5) *Trid. sess. VI. de Ref. cap. 3.*
(6) *Concordat. cap. V.*

tardiores facti essent Episcopi, Conciliorum canonibus fuit constitutum, ut singulis annis visitationibus vacarent. Et per Tridentinos Patres cautum fuit, ut saltem quolibet biennio visitationes ab Episcopis instituerentur, ubi tamen amplitudo dioecesis vetet, quominus unius anni curriculo visitatio absolvi queat.

Episcopis Dioecesim peragrantibus visitationis nomine (*a*) debentur a singulis Ecclesiis *procurationes* (*b*), i. e. hospitium, ac sumtus ob frugalem victum necessarii. Sed cum Episcopi Ecclesias visitationis sumtu divexarent, Concilium Toletanum III. cis interdixit, ne per Parochias hostilem in modum desaevirent, neve clericos angariis, et indictionibus spoliarent (1). Et expostulantibus Galliae Narbonensis presbyteris, quod Episcoporum ingenti satellitio in dioecesis visitatione praegravarentur, Synodus Toletana VII. (2) (c) edixit, ne Episcopi dioecesim lustrantes quinquaginta evectionum modum excede-

(a) *Quae ab initio visitationis nomine debentur procurationes*, episcopalia jura *deinceps evaserunt. Cap.* Cum olim *19. e* ξ. *de Censib. Quare et* obsequium procurationum *fuerunt nuncupatae. Cap.* Cum instantia *17. eod.*

(b) *Procurationes ratione visitationis debentur non modo Episcopis, sed et Metropolitanis provinciam visitantibus. Cap.* Cum Apostolus *6. Cap.* Sopitae *14. Cap.* Cum nuper *25. e* ξ. *de Censib. Quin Legati, ut Nuntii Sedis Apostolicae pro visitatione exiguunt procurationes*; *Cap.* Cum instantia *17. Cap.* Procurationes *23. eod. Praeterea debentur procurationes Archidiaconis, et Decanis jus visitationis habentibus d. Cap.* Procurationes *6. Cap.* Mandamus *6. de Offic. Archidiaconi. Quod si Romanus Pontifex provincias Christiani orbis perlustret, procurationes jure postulabit: ipse enim non debet iniquiori conditione censeri, quam ceteri Antistites. Certe Joannes VIII. in Galliam profectus ab Episcopis Gallicanis procurationes exegit.* Aymoyni *Continuator lib. V. cap. 37.*

(1) *Can.* Quia *c. X. q. 3.*

(2) *Can. 4. Can.* Inter cetera *C. X. q. 3.*

(c) *Ea sane tempestate imae Galliae Narbonensis Episcopi Toletanum Episcopum quasi Primatem agnoscebant, et ad Toletana coibant concilia, nondum extincto in iis partibus imperio Gothico.*

rent, neve plus uno die singulis locis morarentur. Inde Concilium Lateranense habitum sub Alexandro III. Archiepiscopis quadraginta, triginta Episcopis, Cardinalibus viginti quinque, Archidiaconis quinque evectiones permisit (1) (*a*). Si eum modum Antistites excessissent, impune iis resisti posse statuit.

Labente tempore, corruptis moribus, usus inolevit, ut Episcopi etiam cessantes a visitationis munere presbyteros compellerent ad pretio redimentum mansionum onus. Inde porro duplex labes erupit negligentiae, et avaritiae a Concilio Toletano IV. proscripta (2). Et Concilium Valentinum nominatim vetuit, ne Episcopi quidquam visitationis nomine exigerent, nisi visitationis officio actu defungerentur (3): quod repetita lege sancitum a Concilio Lateranensi (4).

Non modo parochiales Ecclesias, sed et Monasteria ipsa potest Episcopus visitare, et ab iisdem procurationem exigere (5). Tantum iis Monasteriis procurationes remittuntur, quae speciali Sedis Apostolicae privilegio fuerint exemta (6). Quemadmodum et procurationis onere vacant Oratoria, quae habentur in grangiis monachorum, quippe quae non vi-

(1) *Cap.* Cum ad quorumdam — *e* ẍ. *de Excessib. Praelator.*

(a) Evectiones *proprie fuerunt litterae, seu codicilli, sine quibus non licebat cursu publico uti. L. 3. C. de Curs. public. Hieron. ad Hilarione, Augustin: lib. V. Conf. cap. 13. Greg. Turonens. Lib. IX. cap. 9. At posterior aetas evectionum nomine equos ipsos, et jumenta designavit, quorum usus erat vecturae causa. Hujusmodi evectiones in Clementina.* Ad nostram *de Censib.* equitaturae *appellantur.*

(2) *Conc. Tolet. can. 15.*

(3) *Conc. Valentin. can. 22.*

(4) *Cap.* Procurationes *5. de Censib. e* ẍ. *Cap.* Romana *1.* §. procurationes *eod. in VI.*

(5) *Cap.* Sopitae *14. e* ẍ. *de Censib.*

(6) *Cap. 1. et ult. eod. in VI.*

sitantur (1). Quin et ipsa civitatensis Ecclesia Episcopum procurare debet, licet sine sumtu visitatio peragatur (2).

Olim procurationes poterant recepi in pecunia numerata (3). Media jurisprudentia Ecclesiastica in eduliis, seu victualibus praestari eas oportuit (4), nisi secus Ecclesiis visitatis placuisset (5). At Tridentini Patres dederunt optioni eorum, qui visitantur, pecuniam, an victualia visitationis nomine solvere malint. Ubi vero gratuito Episcopi visitare consueverint, a receptis moribus recedere prohibentur (6).

Cum vero Episcopi medicorum instar dioecesim perlustrent, non possunt de moribus clericorum, ceterisque rebus judicialiter cognoscere, sed summatim pro modo correctionis. Proinde delicta, si qua deprehenderint, non ordinaria, sed mitiori poena puniri debent.

Ab Episcopi sententia in visitatione pronunciata non datur appellatio suspensiva, sed tantum devolutiva, quae scilicet devolvit causam ad superiorem, sententiae executionem non suspendit (7). Quin et illud adverti debet, a sententia Episcopi dioecesim visitandis appellationem recta ad Metropolitanum deduci, licet tamquam Sedis Apostolicae delegatus eo munere functus sit (8). Hujusce rei ea ratio est, quia etsi agat Episcopus veluti Sedis Apostolicae delegatus, jure tamen utitur ordinario: quapropter nequit Metropolitani jurisdictionem declinare.

(1) *Cap. ult. e ꝫ. eod.*
(2) *Cap.* Venerabili *24. e ꝫ. eod.*
(3) *Cap.* Relata *c. X. q. 1.*
(4) *Cap.* Felicis *5. de Censib. in VI.*
(5) *d. Cap.* Felicis.
(6) *Trid. Sess. XXIV. de Ref. cap. 3.*
(7) *Trid. Sess. XXIV. de Ref. cap. 10.*
(8) *Sacra Congregat. ad cap. 10. Conc. Trid. sess. XXIV.*

TITULUS XIX.

De Chorepiscopis.

Chorepiscopi dicti sunt quasi *villani Episcopi*. Ii praeerant Ecclesiis rusticanis vice Episcopi (1). Ipsis proinde jus erat visitandi vicanas Ecclesias Episcopi nomine. Ea fortasse de causa περιοδευτα *circumcursatores*, seu *visitatores* fuerunt appellati (2), necnon συλλιτουργοι *comministri* (3), et *Vicarii* Episcoporum (4).

Ex Chorepiscopis nonnulli Episcopali ordine erant insigniti, de quibus loquuntur Patres Antiocheni (5); alii erant meri presbyteri. Atque in hoc ordine primum Chorepiscopi fuerunt instituti ad typum LXX. discipulorum (6). Qui inter Chorepiscopos erant Episcopi, ii sane ex Episcopatu ad Chorepiscopatum fuerant dejecti. Ita Patres Nicaeni Novatianos Episcopos ad Catholicam Ecclesiam redeuntes ea lege exceperunt, ut vel presbyterorum oppidanorum, vel Chorepiscoporum officio fungerentur (7). Qui vero secundi ordinis erant Chorepiscopi, ab Episcopo civitatis promovebantur, sicuti reliqui presbyteri (8).

Jam vero Chorepiscopi Subdiaconos, Lectores, Exorcistas ordinabant, et si Episcopatus ordine forent insigniti etiam Diaconis, et Presbyteris manus imponebant, venia Episcopi Urbis impetrata (9);

(1) *Conc. Antich. can. 10.*
(2) *Conc. Laodic. can. 58.*
(3) *Conc. Neocaesar. can. 14.*
(4) *Ferrandus Diac. in Breviar. cap. 79.*
(5) *Conc. Antioch. can. 10.*
(6) *Conc. Neocesar. can. 14.*
(7) *Conc. Nicaen. can. 8.*
(8) *Conc. Antioch. can. 10.*
(9) *Conc. Antioch. d. can. 10.*

litteras formatas clericis vicanis dabant (1); atque in Ecclesia oppidana, praesentibus Episcopo, et presbyteris urbanis, sacra peragebant (2). Praeterea ad Chorepiscopos pertinebat cura aerarii Ecclesiastici, et cura pauperum ruralium. Denique Chorepiscopi eo honoris venerunt, et cura ipsis Archidiaconis certarint, et Episcopo adsederint, ipsi ad sinistram, Archidiaconi ad dexteram (*a*).

Tot honoribus aucti Chorepiscopi nimium intumuere, et adversus ipsos Episcopos attentare ausi sunt. Proinde eos e medio tollere, e re Ecclesiastica censuerunt Pontifices. Id primus peregisse fertur Damasus decreto suo apud Gratianum (3) (*b*). Post Damasum Leo I. Chorepiscopos Episcopalibus officiis abstinere jussit. In Gallia cum Chorepiscopi Episcopalia munia peragerent, in Concilio Parisiensi habito an. 829. cautum, ne modum a canonibus praestitutum excederent. Post decimum vero saeculum Chorepiscopi omnino exoleverunt, eorumque munus archidiaconis, archipresbyterisque ruralibus pro locorum diversitate accessit. In Oriente vero aetate Balsamonis Chorepiscoporum ordo jam exoleverat (4). Plura de Chorepiscopis dabit Petrus de Marca (5).

(1) *Conc. Antioch. can. 8.*

(2) *Conc. Neocaesar. can. 13.*

(a) *In conventibus Ecclesiasticis sinistra fuit honoratior dextra. Hinc Pontificiis diplomatibus a dextra Paulus, a laeva Petrus collocatur, uti pluribus in locis observavit Baronius.*

(3) *Can.* Chorepiscopi *5. Dist. LXVIII.*

(b) *Hoc Damasi decretum plerisque viris eruditis suspectae fidei est. Verum uti genuinum illud agnoverunt Joannes III. in Epist. ad Episc. Galliae, et Germaniae, Patres synodi Metensis an. 889., et Sigebertus Gemblacensis in Chronic. ad an. 383.*

(4) *Balsam. in can. 13. Synod. Ancyr.*

(5) *De Marca C. S. et I. Lib. II. cap. 10.*

TITULUS XX.

De Vicario Episcopi.

Jure dignitatis, et officii Archidiaconus, et Archi presbyter sunt vicarii *nati* Episcoporum (1). Praeter hos Episcopus alium sibi Vicarium constituere debet (2). Fortasse id moris in Ecclesia receptum exemplo civilium magistratuum. Nam Praefecti Praetorio, et alii majores magistratus sive urbani, sive provinciales suos habuere vicarios (3); licet, labente imperio, Vicariorum nomine Rectores provinciarum fuerint designati, qui alium supra se non haberent, ut de Vicario Hispaniarum memoriae prodidit Severus (4).

In regionibus ultramontanis Officialis Episcopi diversus est ab ejus vicario. Officialis juri dicundo praeest, ut Episcopalem jurisdictionem contentiosam exercet, habetque unum idemque cum Episcopo tribunal; ut ab eo non ad Episcopum provocetur, sed ad Metropolitanum (5). At in Italia Vicarius utramque jurisdictionem exercet, spiritualem, et temporalem, volontariam, et contentiosam. Vicarii autem duplicis sunt generis. Alii sunt Vicarii Generales, qui plenam habent jurisdictionem per universam dioecesim; alii sunt vicarii *foranei*, qui foris, i. e. extra civitatem in certa regione, seu parte dioecesis sunt constituti (6).

Jam vero Vicarius debet esse clericus: laicis enim

(1) *Cap. 1. Cap.* Adhaec 7. *de offic. Archidiac.*
(2) *Cap.* Romana *de Offic. Vicar. in VI.*
(3) *L. 1. et 2. C. de Offic. Vicar.*
(4) *Lib. I. Hist. Sacrae.*
(5) *Cap. I. de Offic. Ordinar. in VI.*
(6) *Clement.* Etsi principalis. *2. de Rescript.*

negotiorum Ecclesiasticorum administratione interdictum (1). Ipse autem seu clericus saecularis sit, seu regularis, nil refert (2). Ita Theophilus Alexandrinus Episcopus duos monachos ex eremo invitos accivit, eisque clericis ordinatis administrationem Ecclesiae concredidit (3). Atque hoc jure Abbas Lobiensis est Vicarius Leodiensis Episcopi (4). Tantum Mendicantes vicarios esse noluit Clemens V. in Concilio Viennensi (5). Quin et ipse Episcopus non prohibetur eligi vicarius Episcopi, ut in casu proposito in Cap. XIV. Decretalium *de Officio Ordinarii*, ubi Innocentius III., si eamdem dioecesim incolant populi linguis discrepantes, et Episcopus utriusque linguae peritus non sit, permittit Episcopo, Catholicum Praesulem nationibus illis consentaneum sibi vicarium constituere. Illud autem certi juris est, non aliter creari vicarium, quam modo nudo Episcopi mandato, eumque non posse prius suum munus exercere, quam Episcopi litterae apud gesta Episcopalia fuerint insinuatae, ut omnibus innotescant.

Licet autem Vicarius Episcopi vices gerat (*a*); non idem tamen Vicario debetur honos, qui Episcopo. Vicarius enim non praecedit Canonicos in Choro, et Capitulo, sed in actibus dumtaxat, qui ad ejus officium pertinent. Quin ex iis, quae jurisdictionis sunt, ea Vicarius expedire potest, quae speciale mandatum non requirunt. Quare sine speciali

(1) *Can.* Indicatum *6. Dist. 89.*
(2) Joan. Andreas *in cap. ult. de Cleric. aegrot.*
(3) Socrates *Lib. VI. cap. 7.*
(4) Aegidius *de Gest. Leodiens. Pontific. cap. 63.*
(5) *Clement.* Etsi *2. de Rescript.*
(a) *Vicarii maxima dignitas in eo quoque deprehenditur, quod rescripta Pontificia executioni demandare solet, ubi ad eum diriguntur; quod Vicario foraneo non licet. Clement.* Etsi principalis *2. de Rescript.*

Episcopi mandato beneficia conferre prohibetur (1). Potest tamen ex mandato generali electiones confirmare, praesentatos instituere, quia utrumque est munus necessarium (2). Nec prohibetur Vicarius dare litteras dimissorias ad ordines, ubi tamen Episcopus in longinquis regionibus diutius moretur (3). Prohibetur autem Vicarius visitare dioecesim, synodumque cogere (4), Canonicorum Capitulum indicere, eique interesse, praesidere, ac suffragium in eo ferre (5). Quin non potest Vicarius absolvere in casibus Episcopo reservatis; neque in irregularitatibus occulto ex crimine obortis dispensare (6). Itidem ex mandato generali potestas inquirendi, corrigendi, aut puniendi aliquorum excessus, seu aliquos a suis beneficiis, officiis, vel administrationibus amovendi Vicario non datur (7). Ceterum Excommunicato Episcopo, Vicarii jurisdictionem non suspendi, rescripsere Pontifices (8).

Illud heic disputari solet, utrum ordinaria sit Vicarii potestas, an delegata. Qui ordinariam statuunt, inde deducunt, quod Vicarius semel datus ab Episcopo jurisdictionem, accipit a lege, seu canone; ut nonnullas causas delegare possit. Qui vero delegatam jurisdictionem Vicario tribuunt, id ex eo repetunt, quod Vicarius potest ad Episcopi nutum a Vicariatu removeri, et Episcopo mortuo, ejus potestas statim expirat. Huic et illud addi potest, Vicarii tribunal ab Episcopi tribunali nil prorsus dif-

(1) *Cap.* Cum in generali *3. de Offic. Vicar. in VI.*
(2) *Cap.* Ex frequentibus *3. de Inst.* e ꝟ.
(3) *Cap.* Cum nullus *3. de Tempor. Ordin. in VI.*
(4) *Conc. Trid. Sess. XXIV. Ref. cap. 20.*
(5) *Conc. Trid. Sess. XXV. Ref. cap. 6.*
(6) *Cap.* Si Episcopus *2. de Poenit. et Remiss. in VI.*
(7) *Cap.* Licet *2. de Offic. Vicar. in VI.*
(8) *Cap.* Romana *1. eod. in VI.*

ferre; ut proinde a Vicarii sententia non ad Episcopum, sed ad Metropolitanum appelletur (1). Si quid inter dissidentes Interpretes mutire liceat, rem istam ita definiverim: Vicarius Episcopi habet ordinariam jurisdictionem in his, quae ex generali mandato committuntur; in his vero, quae sine speciali mandato expediri non possunt, delegata jurisdictione fungitur.

TITULUS XXI.

De Coadjutoribus.

Non una ex causa Episcopo datur Coadjutor. Interdum ob corporis infirmitatem, si morbus sit sonticus, et perpetuus, Ecclesiasticae regulae permittunt Episcopo, ut sibi adsciscat Coadjutorem (2). Aeque ob senium, et ingravescentem aetatem datur Coadjutor; nam senectus ipsa teterrimus morbus est. Hinc Narcisso Hyerosolimitano ob senium coadjutor datus est Alexander; et Gregorio ob senium et corporis infirmitatem coadjutor accessit Gregorius Nazianzenus filius. Interdum bene valenti, et optime administrandi adjutor adsciscitur vel ob molem oneris, vel ob temporum calamitatem. Sane Apostolorum Princeps Linum, et Cletum adjutores adsumsit, ut exteriora ministrarent, ipse vero verbo et orationi incumberet (3). Item Episcopo ob imperitiam datur coadjutor, qui ejus vices suppleat (4), non secus ac plebano illitterato et imperito, si alias honestis sit moribus, Episcopus tamquam Sedis Apostolicae delegatus coadjutorem dare potest (5).

(1) *Cap. I. de Appellat. in VI.*
(2) *Cap.* Ex parte 5. *Cap. ult. e* ☩. de Cleric. aegrot.
(3) *Can.* Si Petrus 2. *Cap. VIII. q. 1.*
(4) *Can.* Quia frater 18. *C. VII. q. 1.*
(5) *Conc. Trid. Sess. XXI. de Reform. cap. 9.*

Quin et Episcopo dilapidatori interdicitur administratio rerum temporalium, et in iis rebus coadjutor ipsi dabitur (1).

Jam vero Coadjutoris datio antiquitus ad Metropolitanum pertinebat. Sane Augustinus a Valerio coadjutor adscitus fuit, quaesito solo Metropolitani consensu (2). Labente tempore Pontifices sui juris Coadjutorum dationem ea fortasse de causa fecerunt, quod Coadjutoris datio dispensatione opus habeat, et Pontificii culminis sit dispensare ab Ecclesiastica regula, quae viventi Episcopo successorem designare vetat (3). Exinde et ipsi Metropolitani Roman. Pontificum in dandis coadjutoribus potestatem agnovere. Quapropter Arelatensis Archiepiscopus ab Arausicensi Principe rogatus, ut laboranti Episcopo subveniret, rem ad Innocentium III. detulit, a quo mandatum accepit, ut idoneum ei daret coadjutorem (4). Eodem jure usus est Honorius III. (5). Tandem Bonifacius VIII. expresse pronunciavit, coadjutoris dationem unam esse ex causis majoribus, quae ad sedem Apostolicam pertinent (6).

Porro Episcopo invito Coadjutor non datur (7). Sed si vel aetate, vel valetudine affligetur, moneri debet, ut Coadjutorem sibi petat. Quod si admonitus a sua sententia non dimoveatur, invito et non consentienti dabitur a Romano Pontifice Coadjutor. Ceterum Episcopo consentienti sine consensu Capituli Coadjutor non accedet (8). Ubi vero Episcopatus regiae sit nominationis, Coadjutor sine Princi-

(1) *Can.* Quia ea 9. *C. III. q. 2.*
(2) *Possid. in Vit. August. cap. 8.*
(3) *Conc. Antioch. can. 23.*
(4) *Cap.* Ex parte 5. *de Cleric. aegrot.*
(5) *Cap.* Venerabili 37. *de Offic. Delegat.*
(6) *Cap.* Pastoralis *de Cleric. aegrot. in VI.*
(7) *d. Cap.* Pastoralis.
(8) *d. Cap.* Pastoralis.

pis consensu frustra datur. Per Coadjutorem enim impeditur vacatio, et detrimentum veluti fit regiae nominationi. Ea de causa Gregorius I. aperte fatetur, se Joanni Primae Justinianae Episcopo Coadjutorem dare voluntate, et praecepto Imperatoris (1). Et Innocentius III. ad Principis Arausicani petitionem Archiepiscopo Arelatensi mandavit, ut Arausicano Episcopo coadjutorem daret (2). Quin et in minoribus beneficiis patronatus sine consensu patroni dari nequit Coadjutor cum futura successione (3). Ceterum quo pacto unus, pluresque tutores pupillo dantur pro modo patrimonii; ita unum, pluresve Coadjutores dari mos fuit pro ratione oneris Episcopalis.

Coadjutoria ipso jure temporalis est, et finitur vel morte adjuti, vel cessante impedimento, quod ipsi causam dedit (4). Quare Coadjutoria non est beneficium Ecclesiasticum, sed nudum ministerium. Ex dispensatione introductae sunt Coadjutoriae perpetuae, i. e. cum futura successione, quae sunt merae gratiae expectativae (*a*). Hinc solus Rom. Pontifex hujusmodi Coadjutores dare potest (5). Verum Tridentini Patres Coadjutorias cum futura successione e medio sustulerunt (6), ne in Ecclesiasticis beneficiis hereditariae successioni esset locus: nisi aliud suadeat urgens necessitas, aut evidens utilitas, concessione Romano Pontifici reservata. Or-

(1) *Can.* Scripsit. 2. *C. VII. q. 1.*
(2) *Cap.* Ex parte 2. *de Cleric. aegrot. vel debilit.*
(3) *Cap.* Pastoralis *de Cleric. aegrot. in VI.*
(4) *Gonzalez. in reg. VII. Cancellar. Gloss. 5. §. 9. n. 19.*
(a) *Constantinopoli summa erat* Syncelli *dignitas post Patriarcham ob spem successionis. Syncellus erat Patriarchae adjutor cum futura successione, ita dictus, quasi* consellaneus, *et ejusdem cathedrae particeps. Labente tempore syncelli dignitas numero eviluit. Ita ubi plures fuere, cum iis de gradu et proedria certarunt Metropolitae.* Cedrenus *in Romano Argyropoli n. 347.*
(5) *Can.* Petiisti *17. C. VII. q. 1.*
(6) *Conc. Trident. sess. XXV. de Reform. cap. 7.*

dinarius vero Archidiaconis ; et Parochis Coadjutores dare potest tantum ad tempus (1), quod nominatim Tridentini Patres de parochis illitteratis edixere, potestate dandi coadjutorem temporarium Episcopo facta tamquam Sedis Apostolicae delegato (2).

Licet Coadjutor socius sit, et veluti particeps honoris Episcopalis (3), habeatque administrationem tam temporalium, quam spiritualium una cum Episcopo (4); ita tamen se gerere debet, ut obsequium et reverentiam Episcopo praestet. Hinc sine Episcopi consensu nil coadjutor agere potest. Itaque etsi Episcopalis jurisdictionis compos sit Coadjutor; tamen bona Ecclesiastica alienare prohibetur (5), et beneficia sine speciali mandato conferre (6). Coadjutoris autem potestas ex litteris Coadjutoriae argui potest. Utcumque tamen sit Coadjutor, non habet plenum jus in beneficio. Quare per promotionem ad Coadjutoriam Coadjutoris beneficia non vacant (7).

Porro quibus ex causis vicario perpetuo Parochialis Ecclesiae congrua portio de ejus reditibus assignari debet (8), cum secundum Apostolum, qui altari servit, de altari vivere oporteat (9); iisdem de causis Coadjutor datus Episcopo congruam portionem accipiet de Ecclesiae proventibus, unde se alere valeat (10). Quod si in litteris Coadjutoriae adponatur clausula, *ne quidquam percipiat*, Coadjutor alimenta frustra postulat.

(1) *Cap.* de Rectoribus 3. *cap. ult. de Cleric. aegrot.*
(2) *Conc. Trid. sess. XXI. de Ref. cap. 9.*
(3) *Can.* Non autem 12. *C. VII. q. 1.*
(4) *Can.* Scripsit 3. *C. XII. q. 1.*
(5) *Cap.* Pastoralis *un. de Cleric. aegrot. in VI.*
(6) *Joannes Andreas in cap. ult. eod.*
(7) *Garcias de Benef. p. 11. cap. 6.*
(8) *Cap.* Avaritiae 10. *de Praebend. e ꝟ.*
(9) *Cap.* Cum secundum 16. *de Praebend. e ꝟ.*
(10) *Cap.* de Rectoribus 3. *de Cleric. aegrot. e ꝟ.*

TITULUS XXII.

De Electione.

Eligendi ratio pro temporibus variavit. Apostoli, quorum infinita erat in Ecclesia tum exoriente potestas; ipsi Episcopos Ecclesiis praeficiebant (*a*). Post excessum Apostolorum idoneae personae ad clerum canonice facta vocatio, quae proprie *Electio* nuncupatur, venit ad Clerum, qui rem coram omni populo peragebat non suffragium quidem de electi persona, sed testimonium laturo. Hujusmodi eligendi ratio non modo in Episcopis, et presbyteris obtinuit, sed etiam in reliquis inferioribus clericis locum habuit (1). Ex ea porro electionis forma illud potissimum consequebatur, ut nemo invitis daretur Episcopus, quod olim Caelestinus Papa Episcopos Galliae monuit (2).

Jam vero, sensim labente disciplina, cum turba populi in factiones, factionesque in arma degenerassent, ut et ipsas Ecclesias sanguine pollueren, factum exinde est, ut, proscriptis ab electionibus turbis (3), *visitatores*, seu *interventores* fuerint instituti, qui et vacantem Ecclesiam gubernarent, et electionis satagerent (4). Interventoribus porro a

(a) *Apostoli sortito Matthiam elegerunt.* Actor. 1. v. 23. et 26. *Saepius vero* primitias ex conversis Gentilibus *ad sacerdotium vocarunt.* Clemens Rom. *ep. 1. n. 42. Interdum divina inspiratione illustrati sacros ministros cooptarunt: quo sane pacto Timotheus electus fuit 1.* ad Timoth. 1. 18. *Nec defuere primis Ecclesiae seculis, quos visibili, externoque signo ad sacrum ministerium Deus designavit, quod et de Fabiano Papa, et de Severo Episcopo Ravennate memoriae prodidit* Eusebius *lib. XI. c. 29. et* Surius *vit. Sanctor. Febr. I.*

(1) Hieronym. *epist. IX. ad Rustic.* Possid. *vit. Augustin. cap. 21.*

(2) *Can.* Nullus 13. *Dist. LXI.*

(3) *Concil. Laodic. can. 13.*

(4) *Can.* Obitum 16. *et Can.* Quoniam 19. *Dist. LXI.*

Patribus Africanis interdictum fuit, quibuslibet populorum studiis, vel seditionibus vacantem Cathedram retinere. Quin dare operam debebant, ut intra annum Episcopus deligeretur: quod ni factum, expleto anno, alius Interventor Ecclesiae vacanti dabatur (1).

Electione paracta, antequam electus consecraretur, Principis adsensu in Gallia opus erat. Sane statuit Synodus Aurelianensis, ut *cum voluntate Regis juxta electionem Cleri, et plebis, sicut in antiquis canonibus tenetur scriptum*, Episcopus ordinetur (2). Hujusmodi autem Regius adsensus magis magisque electionibus necessarius est visus, ubi Episcopi in Regum consilia acciti, et feuda passim Ecclesiis concessa. Quin in ipsa Pontificum Romanorum electione post varias rerum vices invaluit, ut supremi Principes coactis ad electionem Cardinalibus denuncient, quem ex ipsis Pontificem esse nolint (*a*).

Porro ne turbae a populis excitae electionibus impedimento forent, exclusa plebe, proceres, et optimates ad electiones admissi, qui non suffragium, sed testimonium ferrent. Deinde ubi clericorum numerus excrevit, eorumque frequentes dissensiones electionibus impedimento erant, res ad collegium Canonicorum redacta est (3); modo ii ad Subdia-

(1) *Can.* Constitutum 22. *C. XII. q. 1.*
(2) *Conc. Aurelian. X. can. 11.*
(a) *Pontificis electio ob turbas excitari solitas ad Cardinales sensim devoluta est. Synodus Romana sub Nicolao II. an. 1059. statuit, ut tantum Episcopi Cardinales Pontificem crearent, in electionem consentiret clerus, et populus.* Can. 1. Dist. XXIII. *Tum Concilium Lateranense sub Alexandro III. edixit, ut rata non esset Pontificis electio, nisi duae Cardinalium partes in unum convenirent.* Cap. Licet 6. *e* ꝫ. *de Elect. Deinde a Gregorio X. in Concilio Lugdunensi constitutum, ut Cardinales uno eodemque conclavi inclusi eligant Pontificem, unde, nisi facta electione, non discedant. Cap.* Ubi 3. *de Elect. in VI. Clement.* Ne Romani 2. *de Elect.*
(3) *Cap. I. Cap.* Dudum 22. *Cap.* Quia propter 42. *de Elect. e* ꝫ.

conatus saltem ordinem pervenerint (1); aut, si Canonici non sint, facultatem eligendi seu ex consuetudine, seu ex privilegio, seu ex pacto acceperint (2).

Jure Decretalium tres sunt electionis species, *scrutinium*, *compromissum*, et *inspiratio*. Ubi per scrutinium fit electio, tres e collegio deliguntur *Scrutatores*, qui secreto, et singillatim colligant singulorum suffragia, pura, et certa, omnique conditione, et ambiguitate vacautia (3). Collecta suffragia statim publicantur, eaque publicatione mutandae sententiae adimitur facultas. Conferuntur deinde suffragia: isque censetur electus, *in quem omnes, vel major*, et *sanior* pars Capituli consensit; ut non modo numerus, sed sapientia, et zelus electo faveat. Verum ne in rixas, et turbas suffragiorum ponderatione electiones venirent, moribus invaluit, ut in quem major Capituli pars consenserit, is electus censeatur (4).

Per compromissum fit electio, ubi Capitulum, nemine dissentiente, omne jus suum in unum, vel in plures transfert seu Canonicos, sive extraneos. Compromissarii autem si electionem subsistere velint, mandati formam servare coguntur (5). Si nihil a Capitulo fuerit mandatum, secundum Ecclesiasticas regulas electioni operam dabunt. A compromissariis electus non potest a Capitulo recusari (6).

Per inspirationem denique fit electio, ubi omnes electores divino veluti spiritu afflati suffragiis omnibus in unum conveniunt. Sed hujusmodi electionis species jamdiu ab usu recessit.

(1) *Conc. Trid. Sess. XXII. c. 4. de Reformat.*
(2) *Cap.* Cumana 50. *e* ꝯ. *de Elect.*
(3) *Cap.* Quia propter 42. *eod. Cap.* In electionibus 2. *eod. in VI.*
(4) *Cabassut. Theor. et Prax. Jur. Canon. Lib. II. c. 24. n. 14.*
(5) *Cap.* Cum dilectus 32. *de Elect. e* ꝯ.
(6) *Cap.* Cum in jure 33. *e* ꝯ. *eod.*

Jam vero electioni locus non est, nisi vacante Ecclesia, justisque Praelato persolutis (1); adeo ut irritum omnino sit, quidquid consultum, actumve fuerit antistite vivente (2). Praeterea citari debent omnes, qui jus eligendi habent, dummodo sint in provincia (3); nisi aliquis eo impedimento detineatur, ut palam sit, citationem inutilem fore (4). Quod si quis non citetur, electio vitiatur, etsi justo suffragiorum numero polleat (5); nisi qui fuit neglectus electionem ratam habuerit (6). Si vero absens citatus accedere impediatur, potest, consensu Capituli, impedimentum jurejurando probare, suffragiumque suum per instrumentum procurationis mandare uni ex Capitulo, vel, si Capitulum consenserit, extraneo (7). Licebit etiam non modo unum, sed et plures procuratores ad eligendum constituere in solidum, non quidem ut simul admittantur; sed, ut, qui in suffragio ferendo praevenerit, praeferatur (8). Ubi autem quis nomine alterius elegerit, et suo, non potest ancipiti conscientia dividere suffragia in diversos; nisi ad certam personam eligendam fuerit constitutus. Ceterum per litteras suffragium ferri non potest, ne ante scrutinium eligendi jus exerceatur, quo jure in ipso tantum scrutinio uti licet (9).

Electio porro in Ecclesia Cathedrali celebrari solet tres intra menses a die vacationis, si quidem vacet suprema ejus Ecclesiae dignitas; intra sex vero menses, si vacent dignitates minores in Ecclesiis

(1) *Cap.* Bonae memoriae 36. *eȝ. eod.*
(2) *Can.* Factus. *Can.* Novatianus. *Can.* Scire. *Caus. VII. Q. 5.*
(3) *Cap.* Coram 35. *eȝ. de Elect.*
(4) *Cap.* Quia propter 32. *eod. Cap.* Sicut 28. *eod. in VI.*
(5) *Cap.* Quod sicut 28. *eȝ. eod.*
(6) *Cap.* Si cui eligendi 23. *eod. in VI.*
(7) *Cap.* Quia propter *eȝ. h. t.*
(8) *Cap.* Si quis justo 46. *eod. in VI.*
(9) *Cap.* Quod sicut 28. *eod. eȝ.*

Cathedralibus, aut Regularibus: minus enim damni ex ea mora timetur (1). Iis autem temporum spatiis elapsis, eligendi facultas devolvitur simul cum iisdem spatiis ad proximum Superiorem, ab eoque ad alium, donec ad Summum Pontificem perveniatur. Quod si Ecclesia fuerit exemta, electio statim ad Pontificem devolvitur. Id quod locum habet in Praefecturis Regularium exemtis, quae per electionem tribuuntur (2). Ceterum si deficiat major pars Canonicorum sive per absentiam, sive per negligentiam, seu per renunciationem, totum eligendi jus transit in minorem partem, quae integrum Capitulum repraesentat (3).

TITULUS XXIII.

De Postulatione Praelatorum.

Licet Postulationis, Electionis, et Nominationis vocabulis promiscue usi sint veteres (4); recentiores tamen postulationem ab electione, et nominatione distinguunt. Postulationis itaque nomine designatur *concors petitio, per quam is, qui secundum canones vel ad dignitatem Ecclesiasticam, etiam Regularem, adsumi non potest, ex dispensatione promovetur.*

Jam vero quemadmodum in electione, ita et postulatione omnes, qui jus habent suffragii, vocari oportet. Omnium autem, aut certe duarum partium suffragia in postulatione requiruntur, quamvis in electione major pars sufficiat. In eo autem potissi-

(1) *Cap.* Quia diversitatem *5. e* ꝟ. *de Concess. Praebend. Cap. 2. h. tit. in VI.*

(2) *Cap.* Licet *5. de Suppl. neglig. Praelat. e* ꝟ.

(3) *Clement. unica eod.*

(4) *Ambros. Epist. ad Vercellens. de Episcopo eligendo.*

imum ab electione differt postulatio, quod quaedam impedimenta, quae electionem morantur, postulationi non obstant. Ita clericus alterius dioecesis, vel rationibus obnoxius, vel bigamus, qui ad ordines secundum Ecclesiasticas regulas non admittitur, postulari non prohibetur. Itidem neophyti, illegitimi, filii presbyterorum, qui ad Episcopatum eligi vetantur, postulari possunt (1); quemadmodum et vota non professus in Abbatem recte postulatur, qui alias eligi nequit (2).

Porro, nisi causa cognita, postulatio non admittitur. Causae autem cognitio in eo versatur, utrum cum disciplinae detrimento Ecclesiae utilitas compensari possit. Ea vero ad immediatum Superiorem pertinet. Neque enim Episcopum, vel Archiepiscopum licet negligere, ac statim, omisso medio, postulationem ad Rom. Pontificem deferre (3).

Ubi cum Episcopi translatione concurrat postulatio, duplici dispensatione est opus. Utraque autem ad Rom. Pontificem pertinet. Itaque si, postulatione unanimiter facta, nihil postulatio impedimento sit, potest a Pontifice rejici, cum res isthaec non *ex justitia, sed ex gratia* definiatur, ut ait Pontifex (4). Quamobrem nec ante admissam a Pontifice postulationem jus ullum postulato adquiritur, neque, si postulatio admittatur, detrimentum aliquod fit ei, qui ad postulationem faciendam vocatus non fuit (5), quod secus habet in electione (6). Quin et post oblatam Pontifici postulationem postulantes nihil innovare possunt, ne Pontificis *judicium ex*

(1) *Cap.* Innotuit 20. *de Elect. e ℥.*
(2) *Cap.* Cum Monasterium 13. *eod.*
(3) *d. Cap. 13. eod.*
(4) *Cap.* Bonae memoriae 23. *eod. in parte decisa.*
(5) *Cap.* Postulationem 5. *e ℥. h. t.*
(6) *Cap.* Quod sicut 28. *e ℥. de Elect.*

eorum pendere arbitrio videatur, ut ait Innocentius III (1). Ceterum si Pontifex irritam postulationem declaraverit, nec ulla postulantium culpa ea in re possit argui, solet permittere, ut iterum persona idonea eligatur vel postuletur (2). Ubi vero postulatio irrita fuerit pronuntiata ex postulantium culpa, puta quia indignum postulaverint, Pontifex, postulatione contempta, alium Ecclesiae Antistitem praeficiet.

TITULUS XXIV.

Qui eligere, eligive possunt.

Alii natura, alii lege eligere prohibentur. Impuberes ob consilii inopiam natura prohibentur eligere. Qui majori excommunicatione illigantur, quique non a canone, sed ab hominis potestate suspenduntur, sive ad tempus munere suo fungi prohibentur, et qui denique in irregularitatem inciderunt, ii et ordinis exercitium amiserunt, et jus suffragii ordini adnexum (3).

Sunt vero nonnulli, qui eligendi facultate ad tempus spoliantur. Hujusmodi sunt, qui laicorum suffragia in electionem admisere, quae sane electio *per abusum secularis potestatis* facta nullius momenti habetur (4). Si qui vero Electionis formam a Pontifice praescriptam in Cap. *Quia propter* contemserint, quique ab Ecclesiasticis regulis nominatim rejectos elegerint (5), suffragio quidem ea vice, sui muneris functione per triennium prohibentur (6).

(1) *Cap.* Bonae memoriae 4. *e* §. *h. t.*
(2) *d. Cap.* Bonae memoriae.
(3) Is, cui 20. *de Sent. Excomm. in VI.*
(4) *Cap.* Quisquis 43. *e* §. *de Elect.*
(5) *Cap.* Cum in cunctis 7. *cod. e* §.
(6) *d. cap.* 7. *ult.*

Ceterum si omnes indignum elegerint, electio devolvitur ad Superiorem Praesulem ex ordine potestatis. Ubi autem pars eligentium dignum elegerit, tota eligendi potestas ad eos transfertur (1).

Non omnes autem Ecclesiae Antistites eligi possunt. Qui enim iis praerogativis destituuntur, quas Ecclesiasticae regulae praescribunt, frustra eliguntur. Episcopus quidem nemo eligi potest, nisi expleverit aetatis suae annos triginta (2), ex justis sit nuptiis procreatus (3), et morum integritate sit instructus (4). Quin Tridentini Patres voluerunt, ut nemo Episcopus eligatur, nisi Doctor, vel Licentiatus saltem in Theologia, vel Jure Canonico publicae alicujus Academiae testimonio perhibeatur (5).

Jam vero Ecclesiasticae regulae eligi vetant haereticos, schismaticos, criminosos, excommunicatos, eosque omnes, qui sex saltem ante menses, quam eligantur, sacros ordines non susceperint (6). Eligi quoque prohibentur, qui aliam Ecclesiam, aut alicujus beneficii curam in titulum retinent, nisi eam dimittere velint (7). Ad Parochialem vero Ecclesiam sive in titulum, sive in commendam administrandam nemo idoneus censetur, nisi annum vicesimum quintum attigerit, et sacros ordines intra annum suscipiat (8).

(1) *Glossa ad cap.* Perpetuo 7. *de Elect. in VI.*
(2) *Constitut. Gregorii XV. Maji 1591.*
(3) *Cap.* Cum in cunctis 7. *de Elect.* e ꝟ
(4) Cum nobis 19. *eod.*
(5) *Conc. Trid. sess. XXII. cap. 2. de Reform.*
(6) *Trid. d. sess. XXII. d. cap. 2.*
(7) *Trid. sess. VII. c. 2. de Reform.*
(8) *Cap.* Cum in cunctis 7. e ꝟ. *de Elect.*

TITULUS XXV.

De Electionis Confirmatione.

Peracta electio electo denunciari statim debet, quo intra mensem deliberet, consentire velit electioni, necne. Si intra mensem electioni electus non consenserit, amittit jus omne sibi ab electione quaesitum (1), et ad aliam electionem devenitur. Ubi vero electus, vel alius ipsius mandato, electionis adsenserit, iter ad Sedem Apostolicam intra mensem arripiet ex Gregorii X. constitutione (2) (*a*). Confirmationem porro praecedet ante Pontificem causae cognitio in Concistorio Cardinalium secundum regulas Concilii Tridentini (3), et Constitutionem Gregorii XIV. = *Onus Apostolicae.* Ceterum ante impetratam confirmationem electus non potest Ecclesiae administrationi se immiscere, nisi quaesito jure velit excidere (4). Accepta vero confirmatione,

(1) *Cap.* Cupientes 16. *pr. de Elect. in VI.*
(2) *Cap.* Nihil 44. *de Elect. e* §. *cap.* Quam sit *eod. in VI.*
(a) *Per decem et amplius secula electus, examine peracto, uno quasi actu a Metropolitano, et Episcopis Auxiliaribus confirmabatur, et consecrabatur. Seculo fortasse XI., quo ordinatio sejuncta est a collatione beneficii, a consecratione distincta est confirmatio. Jure Decretalium solus Metropolita electos Episcopos confirmat. Confirmatio autem peti debet intra tres ab accepta electione menses: eo tempore elapso, irrita electio censetur; modo nulla causa petitioni obfuerit. A judicio Metropolitani appellatio ad Pontificem patet. Cap.* Ne pro defectu 41. *ex. Cap.* Quam sit 6. *de Elect. in VI. Ceterum ubi Episcoporum electiones Sedi Apostolicae fuerunt reservatae, et confirmationes eidem cesserunt. Licet autem pactis conventis Episcoporum nominationes quibusdam Principibus fuerint tributae, aut restitutae electiones Capitulis Cathedralium, confirmandi tamen jus penes Pontifices stetit.*
(3) *Trid. sess. XXIV. cap. 1.*
(4) *Cap.* Avaritia *de elect. in VI.*

electus exercere potest ea omnia, quae sunt jurisdictionis (1). Sed apud nos non licet Episcopo post ipsam Confirmationem expedire jurisdictionem, nisi litterae Apostolicae Regio assensu fuerint communitæ.

TITULUS XXVI.

De Episcoporum consecratione.

Quae sunt ordinis, per consecrationem in Electum transferuntur. Nicaeni Patres consecrationem ab omnibus, aut certe a tribus Provinciae Episcopis jussu Metropolitani, aut potius ab ipso Metropolitano cum omnibus, sive duobus saltem suffraganeis fieri voluerunt (2). Quod si ordinandus sit Metropolitanus, adesse debent omnes suffraganei. Ubi vero unus in provincia sit Episcopus, duo saltem e finitimis arcessentur (3). Exemti autem, i. e. qui Sedi Apostolicae immediate subjiciuntur, vel a tribus Episcopis a Pontifice delectis, vel ab ipso Rom. Pontifice ordinantur (4). Ceterum isthaec trium Episcoporum praesentia ad disciplinam potius pertinet, quam ad ordinationis integritatem (5). Hinc canon I. Apostolicus Episcopum a duobus, vel a tribus Episcopis ordinari statuit.

Intra tres autem menses Episcopus electus consecrari debet. Id temporis spatium si fuerit elapsum, Episcopus perceptos fructus amittet, delatam Ecclesiam ipso jure amissurus, si tres alios ultra menses consecrationem distulerit (6).

(1) *Extrav.* Injunctae *de Elect. in Commun.*
(2) *Conc. Nicaen. can. 4.*
(3) *Can.* Si forte 9. *Dist. LVI.*
(4) *d. Extrav.* Injunctae.
(5) *Can.* Comprovinciales *4. Dist. LXIV.*
(6) *Conc. Trid. sess. XXIII. c. 2. de Reformat.*

Jam vero si consecratio extra Romanam Curiam peragatur, in Ecclesia ipsa, cui Episcopus praeesse debet, est celebranda, aut saltem in provincia. Sollemnis consecrationis dies est Dominica (1). Praemitti autem debet jejunium tam ab Episcopo consecratore, quam a consecrando observandum. Tum vero a consecrationis forma adhibetur, quae praescribitur a Concilio Carthaginiensi IV. (2). Postremo juramentum fidelitatis Gregorii VII. verbis conceptum Romano Pontifici juratur (3). Abbatibus vero loco consecrationis benedictio datur (4).

TITULUS XXVII.

De Translatione Episcoporum.

Spiritualis conjugii ratio, quod inter Ecclesiam, et Episcopum contrahitur, non sinit, ut Episcopus, Ecclesia relicta, ad aliam transferatur. *De civitate in civitatem non Episcopus, non presbyter transferatur*, edixere Nicaeni Patres (5) (*a*). Et Concilium Sardicense ne ad laicam quidem communionem translatos Episcopos in exitu vitae admitti voluit (6) (*b*). Sardicensi edicto causam praebuit Epi-

(1) *Can.* Ordinationes *1. Dist. LXXV.*
(2) *Can.* Episcopus *7. Dist. XXIII.*
(3) *Cap.* Ego *4. de Jurejur. e* ℥.
(4) *Cap.* Statuimus *2. de Statu Monachor. e* ℥.
(5) *Conc. Nicaen. can. 15.*
(a) *Id et apud ipsos Gentiles invaluit:* quosdam exilia, quosdam Sacerdotia uno loco tenent, *ait Seneca de Tranquill. Vitae.* Et Artemidorus *de Somnior. Eventib. lib. V. Somnio I.* Visus est sibi quis ad firmamentum templi Neptuni catena alligatus esse · factus est Sacerdos Neptuni : oportebat enim inseparabilem esse Sacerdotem. *Videsis l. pen. ff. de Vacat. Mun. et l. 2. ff. de in jus voc.*
(6) *Conc. Sardic. can. 1.*
(b) *Isthaec poena exeunte sec. XI. in Ecclesia Rom. adhuc servabatur. Eo sane nomine Stephanus VII. Formosi Papae ex Eccle-*

scoporum maxime Arianorum ambitio, qui Eusebium Nicomediensem secuti ducem crebris Ecclesiarum mutationibus omnes Orientis Ecclesias perturbabant.

Jam vero utcumque haec vera fuerint, temporibus interdum parendum fuit. Quapropter tam secundum Concilii Antiocheni canones, quam secundum veterem consuetudinem ante ipsum Nicaenum Concilium receptam, ex causa seu necessitatis, sive utilitatis Ecclesiarum translationes fuerunt admissae. Causae autem cognitio ad *perfectam synodum*, i. e. totius Provinciae, praesente Metropolitano, pertinebat olim, uti post Antiochenos statuerunt Concilii Chalcedonensis Patres (1). Itaque ante Nicaenum Concilium circa Episcoporum translationes incerto jure utebatur Ecclesia, et necessitate, vel utilitate suadente, ab iis non abhorruit. Nicaeni Patres, Ecclesiasticis rationibus ita postulantibus, translationes prohibuerunt. Procedente tempore modus iis praescriptus, atque ex causa utilitatis, vel necessitatis fuerunt receptae. Causam vero in Synodo provinciali plenario cognosci oportebat, praesente Metropolitano. Tandem post varias rerum vices Romani Pontifices Episcoporum translationes sibi vindicarunt eo sane nomine, quo majores omnium Ecclesiarum causas ad Sedem Apostolicam perferendas edixere Sardicenses Patres (2), quod et ipse Justinianus agnovit (3).

Quemadmodum Episcopi in aliam Ecclesiam tran-

sia Portuensi in Rom. Sedem translati cadaver e sepulcro erutum in Tiberim projici jussit. Lapsu temporis ea poena exolevit. Proinde Raymuudus *canoni Sardicensi adjecit laciniam:* Nisi de hoc poenituerit. *Cap. 2. e* ꝟ. *de Elect.*

(1) *Conc. Chalced. can. 5.*

(2) *Conc. Sardic. can. 7.*

(3) *L. 8. C. de Summa Trinit.*

sferuntur; ita et Episcopales Sedes alio transferri solent. Nimirum licet aliquando Episcopo, Sede principali, i. e., matrice, seu Cathedrali relicta, ad aliam Ecclesiam vel ejusdem Civitatis, vel in Dioecesi constitutam transferre Episcopalem cathedram. Id autem fieri nequit, nisi causa plenissime cognita in Concilio. Ita quidem si diruta fuerit, vel ab hostibus occupata civitas, in qua Cathedralis sedes fuerat, aequissimum est, Sedis translationem admitti (1). Hodie vero Cathedralium Sedium translationes auctoritate Pontificia fiunt. In iis autem quemadmodum olim apud Graecos Imperiali (2), ita apud nos Regio rescripto est opus. Ad Principem enim spectat protectio, et defensio Ecclesiarum. Illud autem adverti velim, aliquando in hujusmodi translationibus non novae, sed veteris Sedis nomen retineri. Ita, Christianis post excidium Hierosolymorum Pellam Decapoleæs civitatem migrantibus, Episcopi nomen, et seriem non interruptam Hierosolymitanorum Episcoporum mordicus retinuerunt. Eodem sane pacto Alexandrinus, atque Antiochenus Patriarcha, quamvis in aliis urbibus sedes suas posuerint, antiquum nomen retinere pergunt (3).

TITULUS XXVIII.

De Renunciatione.

Renunciationis, cessionis, et resignationis vocabula promiscue adhibentur in jure Pontificio (4). Resignare autem, renunciare, et cedere dicuntur, qui dimittunt Episcopatum, Ecclesiam, Dignitatem,

(1) *Vid. can. 21. et 44. C. VII. q. 1.*
(2) *Balsamo ad can. 15. Conc. Nicaen.*
(3) *Vid. Schaliger. in Animadversion. ad Euseb. Chronic.*
(4) *Vid. tit. Decretal. de Renunciat.*

Praebendam, vel quodlibet beneficium seu seculare, seu regulare.

Solent Episcopi renunciare oneri, non honori, loco, non dignitati. Extat hujusce renunciationis exemplum in Collectaneis Historiae Ecclesiasticae Theodori Lectoris de Martyrio Antiocheno Episcopo: *Clero immorigero, populo rebelli, Ecclesiae contaminatae nuncium remitto, servata mihi Sacerdotii dignitate.* Hujusmodi Episcopum, qui honorem habet sine sede Episcopali, posse rogatum ab aliquo Episcopo conferre majores ordines, rescripsit Alexander III. (1). Qui vero loco et dignitate renunciavit, vix minores ordines conferre potest. Ab hujusmodi Episcopo si quis Clericus sciens et prudens majores ordines ceperit, ab officii executione suspenditur.

Renunciatio definiri potest: actus legitimus quo quis beneficia secularia, vel regularia ex certis et legitimis causis dimittit. Licet alias certum sit, quemque juri suo renunciare posse (2) (*a*); tamen utroque jure obtinuit, renunciationem sine voluntate Superioris nullius esse momenti (*b*). Ad rem

(1) *Cap. 1. de Aetat. et qualit. praeficiend.*

(2) *L.* Si quis conscribendo *C.de Episc.et Cleric.l.pen.C.de Pact.*

(a) *Vetus juris regula, qua licet mihi renunciare juri, quod lex mea causa mihi dedit, ut ait* Tullius *Orat. 3. in Verr. ad jus privatum pertinet, non ad publicum, i. e. quod mihi publica causa datum est. Cap.* Si diligenti *de Foro competent.* e ꝗ.

(b) *Renunciatio a Superiore adprobari debet; secus renuncians nihil agit. Equidem qui minores habent dignitates ab Episcopis, vel Archiepiscopis cedendi facultatem obtinere debent, nisi fuerint exempti, qui a Pontifice, vel ejus Legato a latere eam facultatem impetrabunt. Cap. 3. in tertia Collect. h. t. et cap. 36. de Elect. in VI. Episcopi vero, et Metropolitani sine Rom. Pontificis auctoritate munere suo frustra se abdicant. Quamobrem ipsi Legati a latere, nisi speciali mandato instructi, Episcoporum, vel Archiepiscoporum renunciationes, non secus ac translationes admittere non possunt.*

Papinianus: *Legatus Caesaris i. e. Praeses, vel Corrector Provinciae abdicando se non amittit imperium* (1): quod et de Defensoribus Civitatum rescripserunt Theodosius, et Valentinianus (2).

Non modo Superioris auctoritate in renunciationibus est opus, sed et justa causa. Ea causa olim in Concilio Provinciali plenissime cognoscebatur. Paulatim invaluit, ut facta in provinciali synodo renunciatio irrita foret, nisi Romani Pontificis auctoritate firmaretur (3). Tandem, inconsulto Concilio plenario, recte ad Romanum Pontificem renunciationes ea de causa venerunt, quia ex *majorum causarum* numero censentur (4). Ceterum quemadmodum in translationibus, ita et in renunciationibus Principum auctoritatem et in Oriente, et in Occidente intervenire oportebat, uti ex Ecclesiastica historia aperte patet.

Renunciatio autem pura esse debet, libera, propria, et simplex. Ea quidem neque diem recipit, neque conditionem, et a successore designando abhorret: hujusmodi enim *conditiones, et modos detestari canones*, ait Innocentius III. (5). Renunciatione porro rite peracta, et confirmata, nullum jus retinetur in Episcopatu, Ecclesia, vel beneficio quolibet regulari (*a*) (6). Illud autem certum

(1) *L. pen. ff. de Officio. Praesid.*
(2) *L. Nulli ult. C. de Defensor. Civitat.*
(3) *Cap. 1. de Renunciat. in 1. Collect.*
(4) *Cap. X. h. t. in integra decretali.*
(5) *Cap. Ex transmissa 3. h. t. eῒ.*
(a) *Ubi a Rom. Pontifice petita renunciatio fuerit, variare amplius non licet, et ad cessionem renuncians compellitur. Nemini enim datur Pontifici impune illudere. Cap. 12. h.t. Imo cessio per procuratorem facta, vel petita revocari nequit, etsi revocationem postea factam procurator, vel superior ignoraverit. Cap.* un. h. t. in Clementin.
(6) *Cap. Cum inter 2. h. t. eῒ.*

est, qui semel renunciavit, posse iterum eligi, vel postulari (1).

Jam vero causae, ex quibus renunciationes admitti placuit, recensentur ab Innocentio III., scilicet; 1. Conscientia criminis a cedente admissi, propter quod, etiam peracta poenitentia, est munere carendum. 2. Corporis imbecillitas, senio, vel morbis invecta, qua pastoralia munera intercipiuntur. 3. Pervicacia plebis, quae Pastori suo parere detrectat. 4. Scandalum Episcopi causa subortum, quod nonnisi ipsius abdicatione reparari potest. 5. Defectus scientiae in Episcopo necessariae. 6. Denique irregularitas personae, veluti si Episcopus sit bigamus, vel viduae maritus: si enim de legitimo matrimonio Episcopus non fuerit natus, non debet ipsi eo nomine cedendi facultas indulgeri. Hujusmodi causae his versibus comprehenduntur.

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis:
Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.

Ceterum nulla resignatio valebit, si resignans, ante diem vicesimum a facta resignatione decesserit. Id constitutum Regula XVIII. Cancellariae. Praeterea nullius momenti censetur cessio beneficiorum litigiosorum, et unitorum, antequam unio effectum suum sortita sit (2). Postremo inutilem beneficiorum Episcopatu minorum resignationem haberi placuit, quae non fuerit publicata ex praescripto Gregorii XIII (3).

(1) *Cap.* Nisi *10. eod.*
(2) *Conc. Trid. sess. XXIII. de Reform. cap. 18.*
(3) *Constitut.* Humano vix judicio.

TITULUS XXIX.

De Episcoporum Depositione.

Exemplo fortasse exauctorationis militaris, quae, detracto cingulo, peragebatur, Ecclesia militum suorum i. e. clericorum exauctorationem induxit, quam *Depositionem*, sive *degradationem* appellamus. Per eam clerico detrahuntur insignia clericalia singulorum, quos suscepit, ordinum a primo ad novissimum, turbata etiam clericali corona per capillorum abrasionem, certisque formulis adhibitis. Rem totam enarrat Bonifacius VIII (1).

Olim Episcoporum depositio per duodecim Episcopos, presbyterorum per sex, per tres Episcopos diaconorum degradatio expediebatur (2). At Tridentini Patres ob difficultatem Episcoporum convocandorum, Episcopali degradatione in veteri statu relicta, edixerunt, ut unus Episcopus, adhibitis totidem Abbatibus usum mitrae, et baculi habentibus, degradationem seu presbyteri, sive alterius clerici perageret: quod si Abbates hujusmodi in civitate, aut dioecesi non habeantur, possit Episcopus alias personas adhibere in Ecclesiastica dignitate constitutas, quae aetate graves, et juris scientia sint commendabiles (3).

(1) *Cap.* Degradatio 2. *de Poen. in VI.*
(2) *Can.* Felix 4. *C. XV. qu.* 7.
(3) *Trid. Sess. III. cap.* 4.

TITULUS XXX.

De Parochis.

Episcopali dignitate gradu proxima succedit dignitas Parochorum. In locum Apostolorum successere Episcopi; Presbyteri typum septuaginta discipulorum gerunt (1). Hinc *secundi ordinis Sacerdotes*, *Compastores* (2), *Episcoporum cooperatores* (3), *Praelati* (4) nuncupantur. Cum porro posterioribus seculis parochorum dignitas novis aucta sit honorum titulis, ipsis *Personarum* nomen factum est (5), eorumque beneficium *personatus* fuit appellatus. Personatus autem et dignitatis Parochorum insigne argumentum est, quod judices auctoritate Sedis Apostolicae dari possunt (6): quod sane officium aliis demandari nequit, quam personatu, aut dignitat peraeditis (7). Ceterum Parochi Apostolos agnoscunt auctores. Cum enim primum Episcopi ab Apostolis per civitates ordinati sunt, ab iisdem per vicos, et minora municipia constituti fuere presbyteri.

Jam vero plura sunt, quae Parochi officio continentur. Et primum quidem parochus dominicis, aliisque festis diebus Missarum sollemnia, et alia divina officia celebrare jubetur (8) (*a*). Missa paroccia-

(1) *Can.* In novo 2. *Dist. 11.*
(2) Chrysost. *Serm. de pseudo. Prophet.*
(3) *Conc. Aquisgran. III. Sess. II. can. 5.*
(4) *Cap.* Cum ab Ecclesiarum 3. *de Offic. Ordin.*
(5) *Cap.* Constitutus 8. *de Fil. Presbyteror.*
Cap. Illud etiam 6. *de Excess. Praelator.* e ꝟ.
(6) *Cap.* Ex litteris 29. *de Offic. Deleg.* e ꝟ.
(7) *Cap.* Statutum 11. *de Rescript. in VI.*
(8) *Cap.* Ut dominicis 2. *de Paroch.* e ꝟ.
(a) *Hujusmodi paroecialia missarum sollemnia in Concilio Carthag. II. can. 9.* Agendae *vocantur. Et Beda Lib. II. Hist. Eccle-*

lis, quae et *publica* dicta est, celebrari debet hora tertia, quo plebs adesse possit. Ea autem religione hujusmodi sacra peragi debent, ut illud in primis cavendum sit, ne per missas peculiares populos a publicis, quae hora tertia fiunt, abstrahatur (1) (*a*).

Praeterea parochi est baptizare. Ita autem ad officium Parochi pertinet baptismus, ut nisi in paroeciali Ecclesia ministrari non possit. Hinc paroeciali Ecclesiae *baptismalis* nomen factum (2). Ea de causa mos ille olim invaluit, ut Parochi ad synodum venientes *Episcopo* rationem reddere debuerint, an rite et sollemniter baptizarint (3). Atque hoc voluit Concilium Pictaviense I. ubi ait: *Presbyter autem de cura animarum, et de Christianitatis* (*b*) *ministerio Episcopo respondeat* (4).

siast. de Ecclesia S. Pauli Londinensis ita ait: Habet haec in medio pene sui altare in honorem B. Gregorii Papae dedicatum, in quo per omne Sabbatum a presbytero loci illius *agendae* sollemniter celebrantur.

(1) Theodulphus Aurelianensis *in Capitul. ad Paroch. quem locum Gratianus falso adscribit Augustino in can.* et hoc. 52. *de Consecr. Dist. I.*

(a) *Hinc apparet, paroecianos singulis dominicis, aliisque festis diebus Missae paroeciali adesse oportere. Can.* Questi. *C. XVI. q. 1. Exinde et laici extra paroeciam audire missam prohibentur: in paroecia enim legitimus est conventus: Can.* Si quis etiam *de Consecr. Dist. I. et presbyter non debet ad Missam admittere alienum plebanum. Cap. 2. de* Parochiis e ꝫ. *Ita denique jubentur paroeciani Ecclesiam paroecialem frequentare, ut non possint ab ea abesse ultra tres dies dominicas sine justa causa sub poena excommunicationis.* Synod. VI. in Trull. *can. 81.*

(2) *Can.* Plures 54. *Can.* Statuimus 55. *C. XVI. q. 1.*

(3) *Can.* Quando 2. *Dist. 38.*

(b) *Concilium Pictaviense baptismi Sacramentum appellat* Christianitatem*; eo enim Christiani efficimur. Hoc sensu in Can.* Sunt nonnulli *C. XVI. q. 17. quaeritur, an Monachi presbyteri* Christianitatem *largiri queant.*

(4) *Can. 6.*

Ad parochos etiam spectat nuptiarum celebratio, et sollemnis contrahentium benedictio (1). Atque hoc jus ita proprium est Parochi, ut Monachis non liceat nuptias celebrare sine ipsius speciali venia (2); et quae clam et furtim coram non proprio Parocho contrahuntur nuptiae sine testibus, et sollemnibus edictis, irritae ac nullae fuerunt a Patribus Tridentinis pronunciatae (3). Ne vero Sacramenta ponantur in quaestu, pro benedictione nubentium quidquam pecuniae exigere Parochus prohibetur (4).

Porro quemadmodum Episcoporum est poenitentiam publicam indicere, et poenitentes publice in Ecclesia reconciliare (5), quod et Chorepiscopis (6), et Abbatibus negatum (7), ita et in occultis peccatis ad Parochos pertinet confessiones audire, et poenitentes absolvere (8). Atque in foro quidem poenitentiali parochus habet jurisdictionem ordinariam in omnes parochianos, praeterquam in casibus per Episcopum reservatis (9). Itidem Parochorum officium est Sacramentum Extremae Unctionis ministrare (10). Proinde jubentur sub tuta custodia Chrisma adservare, ne forte a sacrilegis ad nefarios usus convertatur (11).

Nec postremum inter paroecialia praedicationis officium censeri debet. Hujusmodi munus adeo paro-

(1) *Can.* Nullus 2. *et seq. C. XXX. q. 5.*
(2) *Clement.* Religiosi *1. de Privileg.*
(3) *Conc. Trid. Sess. XXIV. de Reform. cap. 1.*
(4) *Cap.* Suam nobis 29. *de Simonia* e ꝫ.
(5) *Can.* Si jubet 1. *Can.* Ministrare 3. *Can.* Presbyter 16. *C. XVI. q. 6.*
(6) *Can.* Quamvis 4. *Dist. LXVIII.*
(7) *Cap.* Accedentibus 12. *de Excess. Praelat.* e ꝫ.
(8) *Cap.* Omnes utriusque 12. *de Poenit. et Remiss.*
(9) *Trid. Sess. XIV. de Ref. cap. 7.*
(10) *Clement.* Religiosi *1. de Privileg.*
(11) *Cap. 1. de Custod. Eucharist.* e ꝫ.

chi proprium est, ut sine alia Episcopi venia eo fungatur (1). Praedicare autem apud plebem suam Parochi debent singulis post Evangelii lectionem dominicis diebus; quod ex veteri Ecclesiae instituto promanat (2).

Quemadmodum plura sunt Parochorum officia; ita et certa jura iis secundum Ecclesiasticas regulas competunt. Ita decimae, et oblationes debentur Ecclesiae paroeciali, in qua Sacramenta percipiuntur (3). Hinc si quis decimas, vel oblationes extra baptismalem, i. e., paroecialem Ecclesiam dederit, bannum Pontificium componet, et communione privabitur (4). Atque id in causa est, quapropter decimas novalium Ecclesiae parochiali deberi, non monachis, aliisve, qui jure peculiari decimas percipiunt, voluere Pontifices (5). Privilegium enim de decimis percipiendis ad novalia non extenditur (6). Adeo autem Parochus *fundatam*, ut ajunt, *intentionem* habet in decimarum exactione intra paroeciae fines sine alio titulo, ut decimae tolli praescriptione non possint (7); licet quota earum pars immemorabili tempore praescribi queat (8). Illud vero certi juris est, decimas sine deductione impensarum, et tributi solvi oportere (9). Ceterum ex Regiis rescriptis apud nos id juris obtinet, ut Episcopi contra fideles decimas non solventes per Ecclesiasticas cen-

(1) *Trid. Sess. V. de Reform. c. 2. et Sess. XXIV. cap. 4.*
(2) Ambros. *Serm. I.* Chrysost. *de Div. utriusq. Testam. loc.*
(3) *Cap.* Ad Apostolicae 20. *Cap.* Cum contingat 29. *de Decim. e* ꝫ.
(4) *Can.* Statuimus 54. *C. XVI. q. 1.*
(5) *Cap.* Cum contingat 29. *Cap.* Cum in tua 39. *de Decim. e* ꝫ.
(6) *Cap.* Statutum 2. §. 2. *de Decim. in VI.*
(7) *Cap.* Causam 7. *de Praescript. e* ꝫ.
(8) *Gloss. in cap.* In aliquibus *de Decim.*
(9) *Cap.* Non est 23. *de Decim. e* ꝫ.

suras animadvertere prohibeantur; eaque de re apud Judicem laicum experiri debeant (1).

Jus funeris, seu sepulturae etiam ad Parochum pertinet. Mortuus ex jure communi in paroeciali Ecclesia sepeliendus est, nisi alio loco sepulturam elegerit (2). Ubi quis extra Ecclesiam paroecialem sepeliri velit, debetur paroeciali Ecclesiae canonica *mortuariorum*, i. e. relictorum Ecclesiae, in qua defunctus sepulturam elegit, quae est tertia, vel quarta pro diversa regionum consuetudine (3). Hinc in privilegiis Monasteriorum semper adponi solet clausula: *Salva justitia Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora* adsumuntur (4). Ceterum ne quid pro sepultura per Plebanum exigatur, vetant Ecclesiasticae regulae: incivile enim est, ex alieno luctu compendium quaerere (*a*). Si quid vero ultro offeratur, parochus accipere non prohibetur (5). Atque hoc profecto est, quod ait Innocentius III. *pro exequiis mortuorum pravas exactiones fieri prohibemus, et pias consuetudines praecipimus observari* (6).

Illud heic disceptari potest, ordinaria ne, an delegata sit Parochi intra parochiae fines potestas. Ne multa in praesentem controversiam conferamus, unum, aut alterum dabimus, quo Parochis ordinaria, et propria jurisdictio asseratur. Et Parochi qui-

(1) *Reg. Litter. supplem. tit. XXI. Lit. 2. an. 1750.*
(2) *Cap. 1. de Sepultur. e ꝫ.*
(3) *Cap.* Certificari 9. *de Sepultur. eod.*
(4) *d. Cap.* Certificari 9. *de Sepultur. eod.*
(a) *Foeda consuetudo apud Montem Pessulanum in Gallia Narbonensi inoleverat, ut decedentibus non prius permitteretur effodi sepulturam, quam pro terra, in qua sepeliendi erant, certum pretium Ecclesiae persolveretur. Hujusmodi funerarias nundinas proscripsit Innocentius III. Cap.* Abolendae 23. *de Sepultur. e ꝫ.*
(5) *Can.* Questa 12. *C. XIII. q. 2.*
(6) *Cap.* Ad Apostolicam 42. *de Simon. e ꝫ.*

dem jure suo gregem pascunt, sacramenta ministrant, praedicant verbum Dei. Praeterea si oneri ferundo pares non sint, vices suas delegare non prohibentur, modo vicarium ab Ordinario adprobatum delegerint (1). Quin et Parochi ordinariorum jure censentur ab Eugenio Papa (2), et Alexandro III., qui sane Pontifex diserte pronunciavit, Plebanis excommunicandi, et interdicendi potestatem competere; ita ut Episcopus sententiam a Parocho ex justa causa latam servare compellatur, donec fuerit satisfactum (3).

Ex his, quae hucusque diximus, illud sane constat Parochum ad residendum in suo Titulo obstringi (4). Cum enim curam animarum per se, non per vicarium exercere debeat (5) (*a*), cumque cu-

(1) *Conc. Trid. sess. XVI. de Reform. c. 4.*
(2) *Cap.* Si Sacerdos 2. *de Offic. Judic. Ordin.* e ꝗ.
(3) *Cap.* Cum ab Ecclesiarum 3. *eod.*
(4) *Cap.* Quia nonnulli 3. *de Cleric. non resident.*
(5) *d. Cap.* Quia nonnulli.

(a) *Quod si plebs frequentior sit, quam ut unus Parochus munus suum implere valeat, potest sibi adjungere vicarium temporarium, qui tamen sit ab Ordinario adprobatus.* Trid. sess. XXI. de Ref. c. 3. *Ubi autem paroecialis Ecclesia adnexa sit dignitati, vel praebendae, qui dignitatem, vel praebendam habet, debet Ecclesiae praeponere idoneum, ac perpetuum Vicarium adscripta ei congrua portione de fructibus Ecclesiae.* Cap. Exposuisti 33. *de Praebend.* e ꝗ. *Idem dicendum, si Ecclesia unita sit Capitulo, vel Collegio Ecclesiastico, vel Coenobio. Cap. un. de Cappel. Monachor. in VI. Trid. sess. VII. de Ref. cap. 7. et sess. XXV. de Regularib. cap. 11. Constituto autem Vicario perpetuo, cura animarum habitu remanet penes primigenium Rectorem, actu vero transfertur in Vicarium. Cap.* Constitutus 8. *de Fil. Presbyt. Hinc Vicaria perpetua habetur pro beneficio Ecclesiastico. Cap.* Postulasti 27. *de Rescript. Et primigenius Rector actu sacris non operatur, nisi statis et solemnibus diebus ad tuendam personatus dignitatem. Atque ea de causa Vicarii perpetui Personis sacramento obedientiam et obsequium promittunt. Quare si praeter fidem personatum Ecclesiae affectaverint, et contra ipsas Personas se se erexerint, ab officii executione suspenduntur. Cap.* Illud etiam *6. de Excessib. Praelator.* e ꝗ.

ra animarum sit munus personale, in quo personae fides eligitur (1), a paroecia abesse non potest. Quapropter secundum Ecclesiasticas regulas paroeciani obligantur ei domum construere juxta Ecclesiam; eamque necessaria supellectili exornare (2). Ea de causa Synodus provincialis Neapolitana parochos aut paroeciales aedes inhabitare jubet, aut, si paroeciales aedes nullae sint, intra paroeciae fines degere (3). Quod si Parochum justa de causa alio ire oporteat, operam ipse dare debet, ne diutius absit (4). Olim quidem licebat Parocho per septennium studiorum causa ex consensu, et dispensatione Episcopi abesse (5). Sed hodie studiorum causa inter legitimas locum non habet: ad curam enim animarum, quae *ars artium* a veteribus appellatur, rudis et imperitus admitti non debet, sed doctus et institutus. Ceterum Tridentini Patres Parochum abesse prohibuerunt ultra duos menses sine justa causa ab Episcopo cognita, et probata (6). Quod si parochus per edictum citatus contumax fuerit, poterit Episcopus per censuras Ecclesiasticas, et sequestrationem ac subtractionem fructuum usque ad beneficii privationem eum compellere (7).

Jure communi parochialium Ecclesiarum collatio ad Episcopos pertinet. Ex Concilio autem Lateranensi paroeciales Ecclesiae non possunt conferri minoribus 25. annis (8). Et Lugdunensis Concilii Patres parochum in presbyterum ordinari voluere in-

(1) *Cap.* Quoniam Apostolica *43. §. 1. de Offic. Deleg.*
(2) *Cap. 1. de Censib.* e ꝫ.
(3) *Syn. II. Provincial. Neap. tit. VIII. cap. 4.*
(4) Ambros. *epist. 54.*
(5) *Cap.* Cum ex eo *34. de Elect. in VI.*
(6) *Trid. Sess. XXIII. de Ref. cap. 2.*
(7) *Trid. ibid. Vid. cap.* Ex tuae *de Cleric. non resid.* e ꝫ.
(8) *Cap.* Cum in cunctis *7. §. 2, de Elect.* e ꝫ.

tra annum, alioquin ipso jure spoliatum pronunciarunt beneficio (1). Annus porro currit a die captae pacificae possessionis; modo per ipsum non stetit, quominus presbyter ordinaretur: tempus enim impedito non currit (2). Quo autem pacto parochiae hodie conferantur, seu patronatae fuerint, seu liberae collationis, post Tridentinos Patres (3), fuit in novissimo Concordato an. 1818. definitum.

Coronidis loco illud adverti debet, Monachos generatim a functione parochiali repelli, quia eorum officium non est docentium, sed plangentium (4). Ex quo tamen in clerum adlecti sunt constitutione Siricii (5), etiam ad paroecialium Ecclesiarum curam eos admitti oportuit (6), non tamen sine Pontificia dispensatione. In hac autem specie voluerunt Lateranenses Patres, ut ne Monachi in paroeciali Ecclesia soli locentur, sed cum aliquo fratre, quo vitae testem habeant (7). Et Patres Claromontani illud edixerunt, ut, ubi Ecclesia paroecialis adnexa Monasterio sit, Monachi non possint per se curam animarum exercere, sed constituere debeant vicarium perpetuum (8). Tantum Canonicis Regularibus paroeciales Ecclesias obtinere licet, quia regulae inserviunt laxiori (9).

(1) *Cap.* Licet canon *14. de Elect. in VI.*
(2) *Cap.* Commissa *35. eod.*
(3) *Sess. XXIV. de Ref. cap. 18.*
(4) *Can.* Monachis *4. C. XVI. q. 1.*
(5) *Can.* Monachos *29. C. XVI. q. 1.*
(6) *Can.* Doctos *21. d. C. XVI. q. 1.*
(7) *Cap.* Monachi *2. Cap.* Quod Dei timorem *3. de Statu Monachor.* etc.
(8) *Cap.* Sane quia *6. C. XVI. q. 2.*
(9) *d. Cap.* Quod Dei timorem.

TITULUS XXXI.

De Clericis Minoribus.

In Ecclesiastica hierarchia varii constituti sunt ordines clericorum, alii majores, alii minores. Minores ordines obsequium et obedientiam majoribus debent in his, quae ad ministerium pertinent (1). In plerisque Ecclesiis minorum clericorum non fit mentio, sed majorum tantum, scilicet Episcoporum, presbyterorum, diaconorum: ceteri *ministrorum* appellatione continentur (2): in nonnullis tantum Lectores memorantur (3). Sed Ecclesia Romana septem ordines semper agnovit, nempe Presbyteratum, Diaconatum, Subdiaconatum, Acholytatum, Exorcistatum, Lectoratum, Ostiariatum (*a*), qui sane numerus, et ordo a Cajo, et Silvestro traditus est (4). De singulis videbimus.

(1) *Can.* A Subdiacono *5. Dist. XXVII.*
(2) Optat. Milevitan. *lib. 1.* Hieron. *adv. Luciferian.*
(3) *Can.* Osius *10. Dist. LXI.*
(a) *Inter ordines non recensemus primam Clericalem tonsuram, tum quia Catechismus Romanus* quamdam ad ordines dispositionem *appellat. P. II. cap. 7. tum quia Tridentini Patres eam ex ordinum numero expungere videntur, ubi ajunt:* nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus constitutus. *Sess. XVIII. cap. 8. Utcumque tamen id sit, hodie prima tonsura ab Episcopis confertur, et attonsi privilegiis clericalibus gaudent, et beneficiorum capaces facti functionibus minorum clericorum passim defunguntur. Ceterum tonsura initiari quis nequit, nisi Confirmationis susceperit sacramentum, et fidei rudimenta edoctus litterarum elementa norit.* Trid. Sess. XXIII. cap. 4.
(4) *Can.* Illud *1. Dist. LXXVII.*

De Ostiariis.

Ostiarii, qui et *Aeditui* dicuntur, constituunt primum Ecclesiae gradum. Eorum officium est, Ecclesiae fores observare; fideles in Ecclesiam excipere; infideles, atque excommunicatos repellere; res Ecclesiae custodire (1). Quare ubi Ostiarius ordinatur, claves Ecclesiae ipsi ab Episcopo traduntur hisce verbis: *Sic age, quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quae his clavibus recluduntur* (2).

De Lectoribus.

In secundo gradu sunt Lectores a Graecis dicti ἀναγνωςαι (3) (*a*). Eorum officium est, Sacras Scripturas legere ex suggestu. Hinc *ambon* dicitur tribunal Lectorum (4). Ea de causa cum ordinatur Lector, accipit ab Episcopo codicem Scripturarum his verbis: *Accipe, et esto relator verbi Dei, habiturus, si fideliter, et utiliter impleveris officium, partem cum iis, qui verbum Dei ministraverint* (5). Lectores autem erant sub cura, et potestate Primicerii (6); et in Ecclesia Carthaginiensi parebant Archidiacono (7).

(1) *Can.* Cleros *1. Dist. XXI. Can.* Perlectis *1. Dist. XXV.*
(2) *Can.* Ostiarius *19. Dist. XXIII.*
(3) *Can.* Illud *1. Dist. LXXVII.*
(a) *Plerisque in Ecclesiis Lectoratus primus fuit gradus, ab eoque ad Diaconatum nullo medio ascendebatur. Conc. Sardic. can. 13.* Si forte dives laicus, aut scholasticus de foro, aut de administratione Episcopus fuerit postulatus, non prius ordinetur, nisi ante et Lectoris munere, et officio Diaconi, aut Presbyteri fuerit perfunctus.
(4) *Can.* Perlectis *Dist. XXV.*
(5) *Can.* Lector *18. Dist. XVIII.*
(6) *d. Can.* Perlectis *Dist. XXV.*
(7) Optat. *Lib. 1.*

De Exorcistis.

Tertius inter ordines Ecclesiasticos gradus est Exorcistarum. Eorum officium est, catechumenis, et energumenis manum imponere, atque exorcismis, i. e. sollemnibus adjurationibus daemones fugare (1). Sub Ecclesiae incunabula exorcizandi officium non fuit ordo Ecclesiasticus, sed gratia gratis data, quam Christus fidelibus impartitus est (2). Rebus Ecclesiae constitutis, Exorcistarum munus inter Ecclesiasticos ordines fuit adscitum (3). Hinc exorcizandi officio interdictum iis, qui ab Episcopo ordinati non forent (4). Exorcistae autem, cum ordinatur, traditur liber exorcismorum, cumque ita affatur Episcopus: *Accipe, et commenda memoriae, et habeto potestatem imponendi manus super energumenum, sive baptizatum, sive catechumenum* (5).

De Acolythis.

Qui a Graecis Ἀκόλυθοι vocantur, i. e. *comites assectae*, quartum Ecclesiasticorum ordinum gradum obtinent. Eorum munus fuit comitari Episcopum, vel presbyterum (6). Sane pluribus Pontificiis constitutionibus sancitum, ut Episcopi clericos delectos in obsequio sui ministerii haberent, qui eorum conversationis testes forent (7). Verum labente disci.

(1) *d. Can.* Perlectis.
(2) *Auctor Constitution. Apost. lib. VIII. cap. 26.*
(3) *Can.* Illud *1. Dist. LXXVII.*
(4) *Conc. Laod. can. 26.*
(5) *Can.* Exorcista *17. Dist. XXIII.*
(6) *Can.* Cleros *1. Dist. XXI.*
(7) *Can.* Cum pastoris *58. Can.* Episcopi *60. C. II. 4. 7. Can.* Jubemus *60. de Consecrat. Dist. 1.*

plina, Episcopis, et presbyteris aegre ferentibus clericorum contubernium, et testimonium, ne acolythi otiosi et inutiles forent, iis luminarium cura fuit demandata. Inde passim *ceroferarii* dicti (1). Quare Acolythus cum ordinatur, accipit ceroferarium cum cereo, et urceolum vacuum, ut intelligatur, praecipuas ejus partes esse gestare luminaria, et ministrare vinum in celebratione Missae (2).

TITULUS XXXII.

De Clericis majoribus.

De Subdiaconis.

Subdiaconorum antiquissimum est institutum. Eorum mentio occurrit in canonibus Apostolorum, et apud Ignatium (3). Per plura secula subdiaconatum inter sacros ordines Ecclesia non recensuit. Seculo VI. exeunte subdiaconis lex caelibatus praescripta. Inde inter majores ordines Subdiaconatus adscitus; quod deinde certa lege seu Gregorius, seu Urbanus constituit (4).

Subdiaconi autem officium est, ministrare diaconis, iisque parere, oblationes a fidelibus suscipere, et diaconis altari imponendas afferre (5). Ejusdem est, calicem, et patenam inanes ad altare deferre, et diacono tradere, eique ministrare; urceolum, et manutergium tenere; Episcopo, presbyteris, et diaconis pro lavandis ante altare manibus aquam prae-

(1) *d. Can.* Cleros.
(2) *Can.* Acolythus *16. Dist. XXIII.*
(3) *Epist. ad Antiochen.*
(4) *Can.* Nullum *2. Dist. XXXVIII. Can.* Ante triennium *1. Dist. XXXI.*
(5) *d. Can.* Cleros *Dist. XXI.*

bere (1): alias subdiaconis vasa sacra attingere non licet (2). Subdiaconus quoque tempore sacrorum fores observat (3), catechumenos, et poenitentes introducit, et educit, quod Balsamo memoriae tradidit (4).

De Diaconis.

Diaconi ab Apostolis instituti, ut mensis ministrarent, et in sacrorum ministerio versarentur (5). Septem ab initio ordinati. Deinde pro Ecclesiarum diversitate varius ipsorum numerus fuit. At in Ecclesia Romana septenarius diaconorum numerus diutius permansit (6).

Jam vero Diaconi non modo Evangelium legunt (7), offerentium ad altare nomina ex ambone recitant (8), et Sacerdoti sacrificanti ministrant; sed et praedicant verbum Dei (9). Sane Samaritas ad fidem perduxit Philippus unus e septem Apostolicis diaconis (10); et Stephanus apud Judaeos verbum Dei praedicans primus martyrii palmam adeptus est (11). Praedicationis vero partes ita fuerunt divisae inter Episcopos, presbyteros, et diaconos, ut ad Episcopos spectaret doctrina fidei, ad presbyteros morum, ad diaconos disciplinae (12). Ad Dia-

(1) *Can.* Perlectis *Dist. XXV.*
(2) *Can.* Ministrum *27. Dist. XXIII.*
(3) *Can.* Non oportet *26. Dist. ead.*
(4) Balsam. *in can. 21. Conc. Laodicen.*
(5) *Actor. 7. et 8.*
(6) Sozomen. *lib. 7 c. 19.*
(7) *Can.* Perlectis *Dist. XXV.*
(8) Hieron. *in Ezechiel. cap. 18.*
(9) *Conc. Ancyr. c. 2.*
(10) *Actor. 6.*
(11) *Actor. 5.*
(12) *Can.* Audire *2. Dist. XXV.*

conos etiam pertinet baptizare, non tamen sine Episcopi, vel presbyteri auctoritate, nec praesente Episcopo, vel presbytero (1); et Diaconorum quoque est, Eucharistiam ministrare, absente presbytero (2).

Praeter sacrorum ministerium, diaconis incumbit cura viduarum, orphanorum, ac pauperum. Ita vero pauperum cura Diaconorum propria fuit, ut variae constitutae sint diaconiae tam in Urbe, quam in aliquis locis, in quibus pauperes alerentur sub cura Diaconi (3). Itidem Diaconi curabant eos, qui pro fide in custodia detinebantur (4), iisque alimenta diurna ministrabant (5).

Diaconorum vestis est Dalmatica tunica sine manicis (6), orarium, i. e. stola, quae sinistro humero gestatur, et alba, i. e. linea talaris. Diaconus vero alba utitur tempore oblationis, et lectionis Evangelii (7); atque ubi depositus restituitur, recipit orarium, et albam (8).

(1) *Can.* Diaconus *19. Dist. XCIII.*
(2) *Can.* Pervenit *14. can.* Praesente *17. Dist. ead.*
(3) Anastas. *in Stephan. III.*
(4) Cyprian. *ep. II.*
(5) *Conc. Carthag. IV. can. 43.*
(6) *Can.* Communis *10. Dist. XXIII.*
(7) *Can.* Diaconus *19. Dist. XCIII.*
(8) *Can.* Episcopus *65. C. XI. Q. 3.*

TITULUS XXXIII.

De Officio Archidiaconi.

Archidiaconi sunt Episcoporum administri in sollemnibus sacrorum, et ordinationum, in dispensatione sacri aerarii, et in exercitio jurisdictionis Episcopalis, sunt eorum vicarii in omnibus (1). Hinc Episcoporum *oculi* dicuntur (2). Sane sub ipsa Ecclesiae incunabula ab Apostolis septem Diaconi fuerunt instituti, quorum princeps Stephanus (3). Eo exemplo in singulis Ecclesiis Episcopalibus septem Diaconi fuerunt creati (4), quorum primicerius *Archidiaconus* dictus est.

Jam vero Archidiaconus praeerat diaconis, et inferioribus Clericis (5); in oratione Episcopo adstabat ad dexteram, Chorepiscopo adstante ad laevam; Episcopum sacra facturum stola induebat; tum ad altare invitabat, et ei ministrabat in sacris (6) (*a*), sacrorumque curam omnem gerebat (7). Praeterea ad Archidiaconum pertinebat clericorum ordinandorum instructio, examen, et praesentatio (8). Quin et in ordinatione diaconorum, et presbyterorum requirebatur archidiaconi testimonium, quo apud Epi-

(1) *Cap. 1. Cap.* Adhaec 7. *de Offic. Archidiac.*
(2) Isidorus Pelusiot. *lib. 1. ep. 29. et lib. 4. ep. 188.*
(3) *Actor. cap. 6.*
(4) *Conc. Neocaesar. can. 14. Syn. VI. in Trull. can. 14.*
(5) *Can.* Perlectis. *Dist. 25.*
(6) *Gregor. Turon. lib. IV. cap. 43.*
(a) *Sine Archidiacono numquam sollemnia Missarum celebrabat Episcopus. Eo pertinent verba Laurentii Archidiaconi ad Syxtum apud Ambrosium lib. I. Offic. cap. 41.* Quo, Sacerdos sancte, sine Diacono properas? Numquam sacrificium sine ministro offerre consueveras.
(7) *Idem lib. X. c. 4.*
(8) *Can.* Ostiarius *19. Dist. XXIII.*

piscopum testabatur, illum esse dignum, qui ordinaretur. Hoc testimonii genus vulgo *scrutinium* vocant (1). Neque solum in ordinatione clericos praesentabat Archidiaconus; sed et in beneficiorum collatione (2): atque ad eum pertinebat investitura Ecclesiarum (3), installatio Abbatum, et Abbatissarum (4), et missio in possessionem minorum beneficiariorum. Imo intra fines sui archidiaconatus ad archidiaconum beneficiorum collatio spectabat (5), et custodia, i. e. procuratio, atque administratio, Ecclesiarum vacantium (6); quod ex consuetudine potius, quam ex jure manavit.

Porro praeter ea, quae hucusque memoravimus, penes Archidiaconum erat custodia et dispensatio sacri aerarii, atque apud eum deponebatur pecunia pupillorum, ac viduarum securitatis causa. Hinc sequebatur eum onus dispensandi stipes in pauperes, ratam peculii Ecclesiastici partem Clerici distribuendi, tertia, vel quarta in Ecclesiae fabricam addicta. Uno verbo: summa dispensationis rerum Ecclesiasticarum penes Archidiaconum erat; idcirco industriam et solertiam in eo veteres requirunt (7).

In primis autem Archidiaconi officium versabatur in his, quae sunt Episcopalis jurisdictionis. Jure veteri de levioribus diaconorum delictis cognoscebat, modicam in eos habebat coërcitionem. Jure novo Archidiaconus non habet propriam jurisdictionem, sed demandatam, uti Episcopi vicarius (8). Quare ab Archidiacono non appellatur ad Episco-

(1) *Cap. un. de Scrutin. in ord. fac.* e X.
(2) *Cap.* Adhaec *7. h. t.*
(3) *Cap.* In tantum *36. de Simonia.* e X.
(4) *Cap.* Ut nostrum *9. h. t.*
(5) *Cap.* Ad aures *5. de Excess. Praelat.* e X.
(6) *Cap.* Cum venissent *6. de Institut.* e X.
(7) Hieron. *ad Evagr.*
(8) *Cap.* Ad haec *7. h. t.*

pum, sed ad Metropolitanum (1); quemadmodum ab eo, cui Praetor mandavit jurisdictionem, non appellatur ad Praetorem, sed ad Praefectum Urbi (2). Ceterum ex usu, et consuetudine potest Archidiaconus habere jurisdictionem. Hinc suspendit, excommunicat, absolvit presbyteros, interdicit Ecclesias (3), suum habet officialem (4), suamque dioecesim, ac clericum (5). Quare hujusmodi archidiaconus potest semel in anno (6) suas Ecclesias visitare (7), et visitationis nomine exigere procurationes (8). Atque in hac specie ab Archidiacono ad Episcopum, non ad Metropolitanum appellatur (9).

Sacri aerarii dispensatione plurimum intumuere Archidiaconi, adeo ut se presbyteris praeferrent, et in ipsos Episcopos supercilium erigerent. Id in causa fuit, quapropter Episcopi in ordinem ipsos redigere, eorumque typhum coërcere sategerint. In plerisque Ecclesiis Archidiaconatus e medio sublatus est. Ubi mitius actum, plures instituti fuere Archidiaconi, ut diducta in plures dignitas numero, et rerum tenuitate vilesceret. Quoniam vero Archidiaconi suam dioecesim, et plures Ecclesias sibi censuales, et obnoxias habebant, Episcopi eas ab illorum jurisdictione eximere adlaborarunt (10). Hisce Episcoporum inventis adeo Archidiaconatus officium imminutum, ut fere nudum, et inane dignitatis nomen

(1) *Cap.* Referente 7. *de Praebend.* e ℥.
(2) *L. 1. ff. Quis, et a quo appell.*
(3) *Cap.* Dudum 54. *de Elect. Cap.* Dilecto 10. *de offic. Archidiac.* e ℥.
(4) *Cap.* Significantibus — *Cap.* Romana — *de Appellat. in VI.*
(5) *Cap.* Mandamus 6. *de offic. Archidiac.*
(6) *d. Cap.* Mandamus.
(7) *Cap.* Dudum 22. *de Elect.* e ℥.
(8) *Cap.* Procurationes 23. *de Censib.* e ℥.
(9) *Cap.* Romana 3. *de Appellat. in VI.*
(10) *Cap.* Ad haec 2. *de Excess. Praelat.* e ℥.

evaserit. Ceterum licet olim Archidiaconus ab ipsis diaconis eligeretur; tamen labente tempore Pontificibus placuit, ut ab Episcopo ordinaretur (1). Quod si Episcopus intra legitima tempora Archidiaconum ordinare cessaverit, res ad proximum Superiorem devolvitur (2). Nemo autem Archidiaconus ordinari potest, nisi diaconus sit (3), atque aetatem habeat 25. annorum (4). Quin Patres Tridentini edixerunt, ut nemo Archidiaconus eligeretur, nisi foret Magister in Theologia, aut Doctor, vel Licentiatus in Jure Canonico (5).

De Presbyteris.

Presbyteri ab Ecclesiae primordiis non ordinabantur sine titulo. *Tituli* dicebantur Ecclesiae, de quibus ordinati titularentur, i. e. presbyteri illius Ecclesiae dicerentur. Atque hoc optima ratione fuit a veteribus constitutum, ne vagi et otiosi forent. Sane ne clerici *absolute, et sine titulo* ordinarentur, vetuere Chalcedonenses Patres (6). Singulare est, quod de Paulino narratur, eum sine titulo fuisse ordinatum (7). Ceterum Presbyter ad certum titulum ordinatus obsequium Ecclesiae praestare debet, et curam animarum detrectare non potest (8).

Porro Presbyteri laborum, et consiliorum Episcopi socii sunt et participes. Quare sine presbyterorum consilio Episcopus clericos non ordinat (9).

(1) *Can. 1. Dist. LX.*
(2) *Cap.* Licet 3. *de Suppl. neglig. Praelat.* etc.
(3) *Cap. 1. de Aetat. et qualit. et ord. praefic.* etc.
(4) *Cap.* Cum in cunctis 7. §. *inferiora de Elect.* etc.
(5) *Trid. sess. XXIV. de Reform. cap. 12.*
(6) *Conc. Chalced. can. 6.*
(7) Paulin. *ep. 6. ad Sever.*
(8) Augustin. *de Fid. et Operib. c. 17.*
(9) *Can.* Episcopus 6. *Dist XXIV.*

Quin in judiciis Ecclesiasticis Episcopum sine praesentia clericorum cujusquam causam audire noluerunt Concilii Carthaginiensis IV. Patres (1). Et Cyprianus hanc sibi legem dixit, ne solus sine consilio cleri judicaret (2). Intelligebat enim, tutius esse judicium, quod plurimorum sententiis firmatur, uti post Innocentium I. (3) rescripsit Caelestinus III. (4). Quin ipsi Romani Pontifices nihil gravius sine presbyterio egisse compertum est (5).

Quanta autem sit presbyteratus dignitas, vel ex eo intelligere datur, quod proximus sit gradus ad Sacerdotii culmen. Presbyteri itaque unis Episcopis minores sunt: hinc *secundi ordinis Antistites* audierunt (6). Imo in multis commune presbyterorum, atque Episcoporum officium est. Presbyteri namque, quemadmodum Episcopi, conficiunt corpus Christi (7). Iidem gregem Christi pascunt (8). Quin *praesidere* dicuntur pariter Episcopi, ac presbyteri, et *praesidentium* appellatione promiscue continentur (9). Proinde propter communionem sacri ministerii, Episcopi, et presbyteri dicuntur *Socii* (10).

(1) *Conc. Carthag. IV. can.* 13.
(2) Cyprian. *ep.* 6. *ad Presbyt. et Diacon.*
(3) *Can.* Extra 5. *Dist. LXIV.*
(4) *Cap.* Prudentiam 21. *de Offic. Jud. Deleg. e*x.
(5) Cornel. *ad Cyprian. epist.* 46.
(6) Sidon. *lib. IV. epist.* 46.
(7) Hieron. *ad Heliodor.*
(8) Id. *lib.* 2. *in Jerem. cap.* 6.
(9) Tertull. *Apolog. cap.* 39.
(10) Hieron. *in Jerem. cap.* 22.

TITULUS XXXIV.

De Officio Archipresbyteri.

Inter Episcopi adjutores recensentur Archipresbyteri, qui Archidiaconis succenturiantur. Licet Archipresbyteri sint Archidiaconis ordine majores; dignitate tamen, et officio iis subsunt (1). Ita Archipresbyter institui, atque destitui nequit sine mandato Episcopi, et Archidiaconi (2).

Archipresbyter autem vices gerit Episcopi, iis exceptis, quae sunt ordinis Episcopalis (3). πρωτοπρεσβυτερος, et πρωτοπαπας dicitur a Graecis recentioribus (4).

Archipresbyterorum alii sunt urbani et civitatenses, alii rustici et forenses, quos *rurales decanos* vocant. Archipresbyter urbicus caput est Capituli (5), et primariam habet vocem in Capitulo (6). Praeterea curam habere jubetur omnium presbyterorum, et maxime Canonicorum, atque assidue in Ecclesia manere (7). Cum porro Archipresbytero cura animarum incumbat, hinc in eo requiritur aetas 25. annorum, atque ut intra annum presbyter ordinetur. Illud quoque edixerunt Toletani Patres, ut Archipresbyter, absente Episcopo, missarum sol-

(1) *Cap.* Ad haec 7. *de Offic. Archidiac. e* ꝫ.
(2) *d. cap.* Ad haec.
(3) *Cap.* Ministerium 2. *h. t. e* ꝫ.
(4) Socrat. *lib. 6. c. 9. Synod. VII. Act. 4. et 7.*
(5) *Cap.* Cum inter universas 18. *de Elect. cap.* Post electionem 6. *de Concess. Praebend. e* ꝫ.
(6) *Cap.* Auditis 29. *de Elect. e* ꝫ.
(7) *Cap. 1. e* ꝫ. *h. t.*

lemnia vice ejus celebraret; et *collectam* diceret, vel cui ipse injungeret (1) (*a*).

Jam vero Archipresbyteri quoque est, observare vitam, et ministerium sacerdotum cardinalium (2)(*b*), fontes baptismales benedicere, infirmos oleo perungere, poenitentem infirmum, consulto Episcopo, reconciliare (*c*), poenitentiam cunctis aliis sacerdotibus injungere (3). Quin ipsius Archipresbyteri partes sunt, absente Episcopo, vice ejus sacrum officium inchoare, benedictiones *presbyterales* super plebem in Ecclesia fundere (4) (*d*). Itidem ipse curare debet, ne Eucharistia in sacrario desit, ac

(1) *d. Cap. 1. h. t.*

(a) *Collectae nomine heic designantur sollemnes preces, quae post Evangelium ex ambone recitantur. Can.* Quoniam videmus 1. *Dist. LXIX. Graeci ξυναξιν vocant. Synodus VII.*

(2) *Cap.* Ministerium 2. *h. t.*

(b) Presbyteri Cardinales *sunt Parochi titulis suis adscripti. Eodem pacto Ecclesiae in urbe constitutae dicuntur* tituli Cardinales. *Conc. Meldens. can. 54.*

(c) *Archipresbyter de occultis peccatis poenitentem reconciliare potest Episcopi mandato. Can.* Presbyteri 26. *C. IX. 96. publicos enim poenitentes reconciliare solius est Episcopi. Conc. Carthag. II. can. 3. Carthag. III. can. 32.*

(3) *d. Cap. 2. e §. h. t.*

(4) *Cap.* Officium 3. *eod.*

(d) *Alia est benedictio major, et sollemnior, alia minor et minus sollemnis. Presbyteri minorem benedictionem plebi impertiri possunt Can.* Ecce ego 6. *Dist. XCV. Can.* Cum ad celebrandas 65. *de Consecr. Dist. I. Atque hujusmodi benedictionem olim presbyteri, ac Monachi publice, ac privatim dare solebant.* Beda *lib. 5. Hist. Anglic. cap. 26. At benedictionem sollemnem in Ecclesia super populum fundere uni Episcopo licet. can.* Ministrare 25. *C. IX. q. 6. Hinc Abbates sollemnem benedictionem super plebem impendere non possunt, nisi ex speciali Sedis Apostolicae privilegio, idque in Ecclesiis sibi pleno jure subjectis. Cap.* Abbates 3. *de Privileg. in VI. Sollemnis autem benedictio est, quam Episcopus super plebem post sacrorum sollemnia profundit hac formula:* Sit nomen Domini benedictum *etc.*

ne infirmi e vita discedant sine poenitentiae, et Eucharistiae sacramentis (1) (*a*).

Quod vero ad ruralem Archipresbyterum, is quidem rure degit, imperitae plebis solicitudinem gerit, et presbyterorum, qui per minores titulos, i. e. vicanas ecclesias dispositi sunt, vitam et mores observat, ut de his ad Episcopum referat (2).

TITULUS XXXV.

De Canonicis.

Antiquitus cujusque Ecclesiae clerici in commune vivebant, iisque una mensa erat, unum tectum, unum conclave (3). Ea de causa Κανονικοὶ *canonici* fuerunt appellati, quod descripti essent *in canone* i. e. tabula clericorum in commune viventium. Si quis autem aliquid proprium habere deprehenderetur, ejus nomen e matricula expungebatur (4). Defervescente porro religionis zelo, atque saevientibus persecutionibus, clerici quidem seorsim habitare coeperunt, sportulas tamen, annonasque menstruas ab Ecclesia accipiebant (5), *fratres sportulantes* propterea appellati (6).

Pace Ecclesiae reddita, primus in Oriente Basilius communem clericorum vitam jamdiu exoletam restituit. Inde in Occidentem ab Eusebio Vercellensi allatam plerique Episcopi excepere, atque in

(1) *d. Cap.* Officium.

(a) *Etiam poenitentibus in extremo vitae discrimine ne denegetur Eucharistiae communio, tamquam sacrum viaticum* τελευταῖον ἐφόδιον, *edicunt Nicaeni Patres can. 13.*

(2) *Cap. ult. h. t.*

(3) Sozomen. *lib. VI. cap. 31.*

(4) Augustin. *Serm. II. de Vit. comm. cleric.*

(5) Cyprian. *epist. XXVIII. et ep. XXXIV.*

(6) Id. *ep. LXVI.*

primis Augustinus, cujus exemplum quamplurimis arrisit.

Labente tempore, communem clericorum vitam desuetudine veluti sublatam instauravit in Gallia Crodogangus Episcopus Matensis, clericis in coenobium coactis, regulaque praescripta a Monasticis ferme institutis depromta. Novum hoc institutum maxime ab Episcopis probatum auctoritate Caroli M. et Ludovici P. summopere inclaruit. Tum an. 816. Concilium Aquisgranense regulam condidit pleniorem quam ab ipso Ludovico P. confirmatam Canonicis omnibus servandam proposuit. Ex eo tempore passim non modo in Cathedralibus, sed et in ipsis parochialibus Ecclesiis Canonici coenobitae instituti; et ipsae foeminae in coenobio *Canonicae* evaserunt. Ceterum hujusmodi Canonici *observantia ordinis*, non solemni professione vitam agebant regularem; in quo a Monachis diversi erant, qui *proposito consecrationis*, quo tria vota nuncupabant, monasterio se addicebant.

Seculo X. exeunte, coenobia Canonicorum defecerunt seu ob barbarorum incursiones, seu potius ob eorum mores corruptos. Canonicam itaque vitam jam dilapsam restituit seculo XI. in Italia Petrus Damianus, in Gallia Ivo Carnotensis, paupertatis voto Canonicis adjecto. Hujusmodi Canonici sub Regula S. Augustini inclaruerunt. Ex hac autem aetate duplex Canonicorum genus distingui coepit; atque alii Canonici *regulares*, alii *seculares* appellati. Illi, abdicato rerum omnium dominio, vitam sub Praeposito agunt; hi vero, propriis praebendis acceptis, seorsim vivunt, canonico instituto adhaerentes, quatenus vita singularis patitur. Relictis itaque coenobiis, in Ecclesiis quidem Cathedralibus distincta primum est mensa Episcopi a mensa Capituli: tum ipsa Capituli mensa tot in partes divisa est, quot erant

Canonicorum capita, cuique canonico sua portione perpetuo jure addicta, quae *praebendae* (*a*) nomine fuit designata. Ceterum Canonici post ipsam vitam communem dissociatam unum corpus componunt, quod passim *Capitulum* (*b*) appellatur. Cum autem Collegia Canonicorum Cathedralium ab aliis distinguantur, hinc discrimen evaluit inter Capitula Cathedralia, et Ecclesiarum Collegiatarum.

In Canonicorum Capitulis alii merum Canonicatum obtinent, alii dignitatem. *Dignitatis* nomine beneficium designatur, cui adjuncta est praeeminentia, et jurisdictio. Inter dignitates censentur archidiaconi, archipresbyteri, praepositi, decani, primicerii, cantores, scholastici aliique. Variant autem et ordine, et numero pro Ecclesiarum diversitate dignitates: atque in plerisque Ecclesiis Archidiaconus, in aliis Archipresbyter, et in nonnullis Decanus primam obtinet dignitatem; quemadmodum aliae Ecclesiae plures, aliae pauciores dignitates numerant; nec deest Ecclesia, quae nullam habet dignitatem. Quare ex peculiaribus Ecclesiarum consuetudinibus, atque ex fundationibus res isthaec definietur. Ceterum ex receptis moribus revocata ad Episcopos omni ferme jurisdictione, dignitates in plerisque Ecclesiis nomen tantum retinent, et primas sedes in Capitulis; proinde *inanes*, et *ventosae* appellatae.

Canonicorum munia alia sunt ipsorum propria, alia cum reliquis clericis communia. Quapropter non

(a) *Quousque Canonicorum coenobia steterunt* praebendae *dicebantur esculenta, et poculenta quotidiana Canonicis adsignata, vocabulo ex re militari in rem Ecclesiasticam adscito. Relictis porro coenobiis, praebenda fuit nuncupata portio cuique canonico adscripta jure perpetuo, quae vice cibi, potusque quotidiani fungeretur.*

(b) Capitulum, *stante vita communi, erat caput regulae, quod in Canonicorum conventu quotidie legi solebat. Adjecta communi vita, ipsum Canonicorum collegium, eorumque conventus* Capitulum *fuit nuncupatum.*

secus ac ceteri clerici vitae integritatem sectari, Sacrarum Scripturarum, et Canonum studio incumbere debent secundum regulas a veteribus Patribus constitutas. Ex proprio munere coguntur Canonici ministerio praebendae suae addicto defungi; et in Choro ad psallendum instituto secundum propria statuta adesse, horasque Canonicas *reverenter*, *distincte*, *devoteque* recitare. Quo autem a Choro statis diebus non absint, *quotidianae distributiones* ab Ivone Carnotensi fuerunt excogitatae, quas deinde Tridentini Patres auctoritate sua confirmarunt (1). Eo nomine certae specierum, vel pecuniae distributiones veniunt, quas statis horis addictas praesentes tantum Canonici lucrantur. Itaque distributiones quotidianae praesentibus tantum cedunt; et praesentibus accrescunt, quatenus praesentes sunt. Id ea de causa receptum, *ut ad quas* horas canonicas *panis interni refectio non movebat, panis corporei refectio provocaret*, ut ait Ivo Carnotensis (2).

Quae memoravimus Canonicorum munia sat luculenter ostendunt, ipsos residentiae vinculo obstringi. Hinc Tridentini Patres ultra tres menses a suis Ecclesiis Canonicos abesse vetuerunt (3). Quo sane decreto id quidem voluere Patres, ut tantum ex honestis causis liceat Canonicis tres menses annis singulis abesse: sine causa enim nemini suam Ecclesiam derelinquere quovis tempore datur. Utcumque autem haec vera sint, non desunt legitimae causae, quae Canonicos ultra tres menses abesse sinunt. Ita si Canonici, modo non sint ultra duos, absint Episcopo, et Ecclesiae inservituri, suarum praebendarum fructus integre percipient, uti rescri-

(1) *Trid. sess. XXIII. de Reform. cap. 3.*
(2) Ivo Carnotensis *ep. ad Paschal. Papam.*
(3) *Trid. sess. XXIV. de Reform. cap. 12.*

psit Honorius III. (1). Non absimili ratione praebendarum fructûs lucrantur Canonici, ubi, ab Episcopo venia impetrata, ab Ecclesia abfuerint Sacrae Theologiae, aut Juri Canonico operam daturi (2). Ceterum licet ex legitimis causis absentes Canonici fructus percipiant praebendarum, quotidianas vero distributiones frustra postulant.

Nemo autem ad canonicatum promoveri potest, nisi sit initiatus, aut intra anni spatium possit eo ordine initiari, quem officium praebendae adnexum requirit (a) (3). Quare a canonicatibus, quibus certus ordo ex officio non adnectitur, ipsi attonsi clerici non excluduntur. Quousque autem in inferioribus ordinibus canonici manent, jure suffragii in Capitulo destituuntur (4). Quin licet ad meros canonicatus obtinendos aetas quatuordecim annorum sufficiat; ad dignitates vero curatas anni viginti quinque saltem incepti, ad alias animarum cura destitutas anni viginti duo impleti requiruntur. At ex jure novissimo singulis canonicatibus sacer aliquis ordo adnexus est, ut quilibet canonicatus requirat annos saltem viginti unum (5). Postremo hortantur

(1) *Cap.* De cetero *7. et cap.* Ad audientiam *13. de Cleric. non resid. e* ꝫ.

(2) *Cap.* Super *5. de Magistr. e* ꝫ.

(a) *Qui dicuntur Canonici* honorarii, *nullis explendis muneribus obstringuntur. Hujusmodi canonici sine officio proprio inter Canonicos censentur. Ita Imperatores Occidentales et Romae, et Aquisgrani inter Canonicos honoris locum habuerunt. Eodem sane pacto Augustissimus utriusque Siciliae Rex in Ecclesia S. Nicolai Bariensis obtinet Thesaurarii dignitatem, quam Carolus II. Regiae Coronae Apuliae attexuit, Ecclesia Bariensi latifundiis aucta. Extat in Choro Sedes Regia e regione Sedis Prioralis. Et plerique Neapolitani Reges canonicalibus insignibus induti Choro interfuerunt atque acceperunt quotidianas distributiones.*

(3) *Trid. sess. XXII. de Reform. cap. 4.*

(4) *Clement. 2. de Aetat. et qualitat. praefic.*

(5) *Trident. sess. XXIV. de Reform. cap. 12.*

Tridentini Patres, ut, ubi id fieri potest, dignitates omnes aut saltem dimidia pars Canonicatuum in Cathedralibus Ecclesiis, et Collegiatis insignibus conferantur tantum Magistris, vel Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia, vel Jure Canonico (1).

In nova disciplina Capitulum Cathedrale Senatus Ecclesiae censetur. Antiquitus profecto negotia Ecclesiastica per presbyterium, praesidente Episcopo, agebantur. Tum, instituta vita communi, clerici coenobitae in regenda Ecclesia ab Episcopis in consilium adsciti. Semel quaesitam presbyterii praerogativam Canonici Cathedrales, relicto coenobio, retinuerunt, reliquo clero excluso, quippe qui unum corpus cum Episcopo componunt, uti Patriarchae Hierosolymitano rescripsit Alexander III. (2). Verum sensim Ecclesiastici senatus auctoritas imminuta est, et Capitula Cathedralia corpora evaserunt, in quibus Episcopi partem non habeant. Utcumque autem haec fuerint; vetus disciplina non potuit omni ex parte concidere, cum praesertim Canonici sua jura mordicus retinere satagerent. Inde porro invaluit, ut pleraque negotia Episcopi jure suo explicarent, multa autem sine consilio, aut consensu Capituli non possent expedire. Quibus negotiis Capituli consilio est opus, ea ab Episcopo impune peraguntur contra Canonicorum sententiam (3). Quae vero consensum desiderant, eo neglecto, nullius roboris habentur.

Jam vero sine consensu Capituli Episcopus nec donare, nec quovis modo res Ecclesiae alienare potest (4). Quin et sine Capituli consensu Episcopus unire nequit Ecclesiam alteri Ecclesiae, Monaste-

(1) *d. Conc. Trid. eod.*

(2) *Cap.* Novit *4. de his, quae fiunt a Prael. sine consens. Capit.*

(3) *Cap.* Cum olim *7. de Arbitr. e* ꝟ.

(4) *Cap. I. de His, quae fiunt a Prael. sine consens. Capitul. e* ꝟ.

rio, Diginitati, vel praebendae, cum concessiones Ecclesiarum perpetuas non sit dubium ad alienationes pertinere, uti Metensi Archidiacono rescripsit Innocentius III. (1). Quod si vero Ecclesiam Episcopus Capitulo, vel mensae suae unire velit, Capituli consensus non sufficit, sed Pontificia auctoritate est opus: nemini enim auctoritatem in rem suam praestare licet (2). Praeterea sine Capituli consensu Episcopus beneficium, vel praebendam quavis ex causa supprimere prohibetur (3), et de Ecclesiae juribus transigere (4). Sed in hisce omnibus consuetudines Ecclesiarum sunt spectandae. Licet autem Episcopus habeat ordinariam jurisdictionem in tota dioecesi, eamque exercere possit in Canonicos Cathedralis Ecclesiae aeque, ac in ceteros Clericos (5); tamen Capitulum ex consuetudine generali habet jurisdictionem correctivam in Canonicos, et alios clericos (6). Nullum enim corpus, vel collegium potest esse sine aliqua jurisdictione disciplinae fovendae causa (7). Hinc Capitulum non prohibetur correctionis causa multare Canonicos privatione vocis in Capitulo, vel distributionum quotidianarum ad tempus (8): nulla enim jurisdictio constat sine modica coercitione (9). Ceterum hujusmodi correctio intra terminum ab Episcopo praefiniendum fieri debet illis Ecclesiis, quae talem consuetudinem habuerunt (10).

(1) *Cap.* Tua nuper *8. eod.*
(2) *Clement.* Si una *2. de Reb. Eccl. non alienand.*
(3) *Cap.* Cum accessissent *8. de Costitut. e ꝟ.*
(4) *Cap.* Statuimus *2. Transact. e ꝟ.*
(5) *Cap.* Cum Episcopus *de Offic. Ordinar. in VI.*
(6) *Cap.* Irrefragabili *13. de Offic. Ordinar. e ꝟ.*
(7) *L. ult. C. de Jurisdict.*
(8) *Clem.* Ut ii, qui, *de Aetat. et qualit. praefic. e ꝟ.*
(9) *L.* Magistratibus *ff. de Jurisdict.*
(10) *Cap.* Irrefragabilis *de Offic. Ordinar. e ꝟ.*

De Vicario Capituli.

Vacante Sede Episcopali morte, vel captivitate Episcopi, Capitulum vice ipsius fungitur, et in ea omnia succedit, quae sunt ordinariae jurisdictionis (1). Rationi enim consentaneum est, ut Capitulum, quod cum Episcopo est unum corpus (2), vacantem Ecclesiam non ex delegatione, sed proprio jure gubernet. Quapropter non potest Capitulum visitare monasteria exemta etiam Monialium, quae non visitantur ab Episcopo, nisi tamquam Sedis Apostolicae delegato (3). Quin et, vacante Sede, Capitulum in beneficiorum libera collatione non fungitur vice Episcopi (4): ea enim reservatur futuro successori (5). Quod secus in collatione necessaria obtinet. Proinde Capitulum confirmat electiones (6); instituit praesentatos (7); et confert praebendas, quarum collatio ad ipsum una cum Episcopo pertinet (8).

Praeterea Capitulum, Sede vacante, non potest ea exercere, quae sunt ordinis Episcopalis. Quare ad viciniores Episcopos datis dimissoriis ordinationes expedire poterit (9); modo elapsus fuerit annus a die mortis Episcopi. Etenim intra annalem Ecclesiae vacantis luctum vix arctatis dimissorias litteras dare

(1) *Cap.* His, quae *2. e* ꝫ. *de Majorit. et Obedient. cap.* Si Episcopus *3. de Suppl. neglig. Praelat. in VI.*

(2) *Cap.* Novit *4. de His, quae fiunt a Praelat. sine consens. Capit. e* ꝫ.

(3) *Conc. Trid. sess. XXV. de Regular. cap. 9.*

(4) *Cap.* Illa *2. e* ꝫ. *Ne Sed. vacant. e* ꝫ.

(5) *Gloss. in cap.* Cum olim *de Majorit. et Obedient.*

(6) *Cap.* Cum olim *14. e* ꝫ. *de Majorit. et Obedient.*

(7) *Cap.* Etsi *1. de Institut. in VI.*

(8) *Cap. un. Ne Sed. vacant. in VI.*

(9) *Cap.* Cum nullus *3. de Temporib. Ordinat. in VI.*

posse Capitulum, statuerunt Tridentini Patres (1). Sed ex pactis conventis inter Benedictum XIV., et Carolum Borbonium utriusque Siciliae Regem apud nos Vicarius Capitularis post annum non dimittit ad ordines nisi venia a Sacra Congregatione nominatim impetrata : intra annum vero ex consensu Capituli petrata : intra annum vero ex consensu Capituli secretis suffragiis expresso litteras scribit laicis beneficio recipiendo *arctatis*, et clericis praesentatis ad beneficium, quod actu certum ordinem requirit; modo ab Episcopo defuncto rejecti ab ordinatione non fuerint (2).

Cum vero nequeat jurisdictio exerceri per universitatem, eaque certae personae ministerium requirat, Capitulum, Sede vacante, cogitur unum, pluresve Oeconomos destinare, qui rerum Ecclesiasticarum curam gerant, et eligere idoneum virum, qui ipsius vice in jurisdictione exercenda fungatur, quique propterea Vicarius *Capitularis* dicitur. Ea electio intra dies octo a die notitiae vacationis fieri debet. Si intra has temporis inducias ab Oeconomis, et Vicario eligendo cessaverit Capitulum, eorum optio devolvitur ad Metropolitanum. Ubi vero Ecclesia fuerit Metropolitana, vel exemta, antiquior ex suffraganeis in Metropolitana, et propinquior Episcopus in exemta Vicarium, atque Oeconomos constituet. Vicarius autem esse debet in Jure Canonico Doctor, vel Licentitaus, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus. Ceterum quemadmodum Vicarius, ita et Oeconomi procurationis suae Episcopo rationem reddent, quamvis a Capitulo liberationem obtinuerint (3).

(1) *Trid. sess. VII. de Ref. cap. 10.*
(2) *Concordat. cap. IV. num. 9.*
(3) *Conc. Trid. Sess. XXIV. de Ref. cap. 16.*

TITULUS XXXVI.

Communia tam majorum, quam minorum Ordinum.

Ordinum ubique conferendorum potestas unius est Romani Pontificis. Episcoporum facultas propria dioecesi concluditur. Quare alterius dioecesis clericum sine venia proprii Episcopi quivis Episcopus ordinare prohibetur, nisi, quem triennio inter familiares habuerit, eique ordinato statim beneficium conferat (1). *Proprius* autem Episcopus dicitur aut ratione *originis*, aut *domicilii*, aut *beneficii*. Ita si quis natales in ea dioecesi habuerit, ubi aut pater, aut aliquis majorum suorum permanendi animo, non fortuito sedem locaverat, ejus loci Episcopum proprium agnoscet. Eodem sane pacto ubi quis seorsim a patre habitans, vel cum ipse pater cum filio secum habitante stabile domicilium alicubi posuerit, is ad ordinationem Dioecesani Episcopi pertinebit. Postremo ratione beneficii *proprius* dicitur Episcopus, si cui in ea Dioecesi, ubi ordines petit, beneficium sit collatum, quod vitae subsidio sufficiat. Ceterum qui Romani Pontificis jussu aliquo ordine fuerunt initiati, licet Ordinarii Episcopi potestati subsint (2), sine ipsius Pontificis venia a nullo Episcopo ad ulteriores ordines perduci possunt (3). Illud autem certum est, eum, qui sine ordine officiis fungitur sacris, spem ordinum in posterum recipiendorum amittere (4). Et si quis non baptizatus ordines acceperit, baptizandus est, et iterum ordinandus; aedificium enim sine fundamento non con-

(1) *Trident. sess. XXIII. de Ref. cap. 9. et sess. XIV. cap. 4.*
(2) *Cap.* Per tuas 7. *de Majorit. et Obedient.* e ij.
(3) *Cap.* Cum in distribuendis 12. *de Temp. Ordinat.* e ij.
(4) *Cap. 1. de Cleric. non ordin. ministr.* e ij.

stat, uti rescripsit Innocentius III. Episcopo Ferrariensi (1).

Jam vero cum non deceat, Clericos cum ordinis dedecore aut mendicare, aut sordidum aliquem quaestum exercere, nemo (exceptis Regularibus, qui ad titulum religiosae paupertatis ordinantur) nisi ad titulum beneficii ordinari potest, quod ad victum honeste sufficiat. Quod si necessitas id postulet, et beneficium deficiat, poterit quis ordinari vel ad titulum pensionis, vel ad titulum certi ac sufficientis patrimonii, quod rebus constet immobilibus (*a*), quodque neque alienari, neque ullis oneribus postea subjici queat, nisi tantumdem patrimonii adquiratur (2). *Absolutas* i. e. sine titulo ordinationes *irritas* et *vacuas* pronunciarunt Chalcedonenses Patres (3) (*b*). At Romani Pontifices Epi-

(1) *Cap. ult. de Presbyt. non baptiz. e* ῒ.

(a) *Titulus patrimonii emersit ex male intellecto canone VI. Concilii Chalcedonensis.* Neminem absolute ordinari, *edicunt Patres Chalcedonenses*, nisi in Ecclesia civitatis, sive possessionis, *Gr.* τῆς κώμης *Nomine* possessionis *interpretes intellexerunt* patrimonium, *cum potius ea vox, ut in Graeco canone sonat, vicum, pagumve designet, opponiturque civitati. Ex ea interpretatione Episcopi titulum patrimonii admiserunt, quem novae regulae Ecclesiasticae non excludunt. Cap.* Tuis 23. *de Praeben. e* ῒ.

In Regno utriusque Siciliae ex novissima Conventione habita inter Pium VII. et Ferdinandum I. ubi Clericus ad titulum patrimonii ordinari velit; ejus quantitas nec minor ducatis quinquaginta nec major octoginta esse poterit, quo ipsi non desit unde se exhibere queat. Quod si quis ad sacros ordines promovebitur Beneficii Ecclesiastici, aut Cappellaniae titulo, cujus redditus ad praefinitam taxam non pertingent, tantum ex aliis fundis delibabit, quantum ad taxae integritatem erit opus. Ab hac tamen regula illae dioeceses excipi debent, in quibus ex dioecesana lege taxa patrimonii in majori quantitate canonice fuit definita. Art. XXI.

(2) *Trident. sess. XXI. cap. 2.*

(3) *Conc. Chalced. can. 6.*

(b) Irrita *et* vacua *ordinatio in veteri disciplina fuit ordinatio nulla ab initio, uti advertit Franc. Florens.* Tract. de Praeb. et Dignit., *et Espenius* Comment. ad Can. VI. Chalced. *Posteriori*

scopos jubent alere majores clericos *absolute* ordinatos, qui non habent, unde vivant (1). Atque hoc jure utimur, ea potissimum de causa, quod Tridentini Patres *antiquorum canonum poenas* renovarunt (2), eas scilicet, quas Pontifices irrogaverant (3).

Porro nemo ad ordinationem admitti potest, antequam ejus vita, et mores examinentur. Si quis hujusmodi examen subterfugerit, et ordinandis se clam inseruerit, ordinis exercitio carebit (4). Quin promotus per saltum, i. e., qui ad ordinem majorem, omissis mediis, ascendit, recepti ordinis exercitio tamdiu privabitur, quousque tempus elabatur necessarium ad ordinem, quem suscepit. Ceterum promotis per saltum, si in suscepto ordine non ministraverint, Episcopus ex legitima causa poterit dispensationem indulgere, uti Tridentini Patres statuerunt (5), suppleto ordine omisso (6).

Priscis canonibus certa ad ordinationes fuerunt tempora constituta, quae jejunando de more transigimus. Isthaec jejunia ordinationis causa praescripta sunt. Sane extra jejunia quatuor temporum, quovis festo, vel Dominico die minores ordines possunt conferri. Sed ad ordines majores nisi in quatuor temporibus, aut Sabbato Sancto, vel in Sabbato ante Dominicam de Passione nulli Episcoporum,

aevo irritae *ordinationes dici coepere, quae effectu, et usu destituerentur. Benigniores Pontifices usum et exercitium ordinis absolute ordinatis non denegarunt, at Episcopos ordinatores alimentorum poenam subire jusserunt. Cap. 4. de Praeb. e ꝫ.*

(1) *Cap.* Episcopus 4. *de Praeb. e ꝫ.*

(2) *Trid. sess. XXI. Reform. cap. 2.*

(3) *Sacra Congregat. apud Fagn. in cap.* Cum secundum Apost. *de Praeb. e ꝫ. n. 63.*

(4) *Cap.* Innotuit 3. *De eo, qui furtiv. ord. suscep. e ꝫ.*

(5) *Conc. Trid. sess. XXIII. de Reform. cap. 14.*

(6) *Cap.* Tuae litterae *de Cler. per salt. prom. e ꝫ.*

praeterquam Romano Pontifici, licet aliquos promovere, uti rescripsit Alexander III. (1) (*a*).

Ordinationibus peragendis locus est Ecclesia Cathedralis, vel alia ex majoribus, ubi Episcopi permissu quis ea in dioecesi ordines conferat (2). Minoribus autem ordinibus conferendis quivis dioeceseos locus est idoneus; et primae tonsurae etiam dies non festus, et extra dioecesim locus aptus est.

Sed et certis temporum intervallis, non vero simul ordines majores conferri oportet. Ita unius anni spatium inter unum, et alium ordinem excurrere debet; nisi necessitas, aut Ecclesiae utilitas judicio Episcopi aliud exposcat (3). Minores vero ordines si Episcopo ita e re Ecclesiastica videatur, vel uno die conferre licebit.

Quod autem ad clericorum scientiam attinet, minorum quidem clericorum idonea scientia est linguae Latinae intelligentia. In Clericis vero in sacris ordinibus constitutis scientia requiritur, qua ad cujusque ordinis munus peragendum, et ad Sacramenta administranda est opus, quaeque saluti conferat animarum (4).

(1) *Cap.* De eo 3. *De temporib. ordinat.* e ꝗ.

(a) *Apud Graecos ordinationibus peragendis nulla est praestituta dies. Id ex eorum disciplina promanat; nam praeter unicam Paschatis vigiliam nullis sabbatis Graeci jejunant. Itaque nullo pacto fieri potest, ut post vesperas sabbati continuato jejunio ordinationes Graeci celebrent. Tantum in Quadragesima sabbati, et Dominicae diebus Episcopos, et presbyteros ordinare solent. Scilicet Episcopos, ac presbyteros in pleno sacrificio consecrant, et jejuniorum tempore Graeci praesanctificata offerunt.*

(2) *Conc. Trid. sess. XXIII. de Ref. cap. 8.*

(3) *Trident. sess. XVIII. de Ref. cap. 11.*

(4) *Trident. sess. XXIII. cap. 13. et 14.*

TITULUS XXXVII.

Qui promoveri non possint.

Cognitis, qui promoveri non possunt, ceteros promoveri posse intelligemus (*a*). Itaque ab ordinibus excluduntur, I. qui baptismum adhuc non acceperunt, cum superaedificari non possit, ubi nullum est fundamentum (1). II. Mulieres (2). III. Servi, nisi prius a dominis libertatem fuerint consecuti. Quod si quis servus fugiens dominum suum calliditate, vel fraude ad gradus pervenerit Ecclesiasticos, eum deponi jusserunt Toletani Patres (3). IV. Syndici universitatum, tutores, quique obligantur ad redditionem rationum sive publicarum, sive privatarum, ubi de dolo a privatis conveniantur (4). V. His accensendi, qui in publicam infamiam ob crimen inciderunt (5). VI. Item Simoniaci, et homicidae (6), excepto homicida involuntario, qui nulla sua culpa, nec dum rei illicitae operam daret, casu hominem occidit; quod et ad eum quoque re_

(a) *Antiquitus, qui ad ordines adspirabant, ad certas Ecclesiasticas regulas exigebantur; unde digni ab indignis discernerentur. Qui a regulis abludebant*, alieni a canone, *et ad clerum* promoveri non posse *dicebantur. Syn. Nicaen. can. 17. Syn. Neocaesareens. can. 12. Sequiori aevo hujusmodi homines* Irregulares *fuerunt nuncupati, et impedimentum ad ordines suscipiendos* Irregularitas *dicta est. Vocabulum fortasse excogitavit Innocentius III. Vid. cap.* Nisi *10. de Renunciat.*

(1) *Cap. 1. et cap.* Veniens *3. de Presbyt. non baptiz. e* ꝗ.
(2) *Can.* Sacratas *25. Dist. XXIII.*
(3) *Cap.* De Servorum *2. de Serv. non ordinand. e* ꝗ.
(4) *Cap. un. de Obligat. ad ration. e* ꝗ.
(5) *Can.* Infames *17. C. VI. q. 1. cap. sicut 4. de Cohabitat. Clericor. e* ꝗ.
(6) *Cap.* Quaesitum *16. de Temporib. Ordin. Cap.* Inquisitionis *21. de Accusat. e* ꝗ.

ferri debet, qui injustum adgressorem interficit cum moderatione inculpatae tutelae (1). Ceterum, qui alicujus morti, etiamsi jure illata sit, se immiscuerit *irregularis* censetur. Quare et clerici, qui in judicio criminali etiam ex Principis delegatione judices agunt (2); et qui intersunt ubi vindicta sanguinis exercetur, eam auctoritate sua promoventes (3); et qui de gravi crimine sibi irrogato aliquem accusant, quod poena sanguinis vindicatur, omissa protestatione a Bonifacio VIII. praescripta, a canone alieni censentur (4). Ad rem Innocentius III. *Sententiam sanguinis nullus clericus dictet, aut proferat; sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut, ubi exercetur, intersit. Nec quisquam clericus litteras scribat, aut dictet pro vindicta sanguinis* (5).

Praeterea ab ordinibus suscipiendis prohibentur VII. nati ex injustis nuptiis; nisi, monastica professione suscepta, natalium sordes abluerint (6). Et quamvis illegitimi inter Monachos clerici ordinentur, ad Praefecturas tamen suae Religionis sine Pontificia dispensatione adscendere non possunt (7). Quo autem a beneficiis quaelibet haereditariae successionis imago submoveretur, filii clericorum, et presbyterorum illegitimi ex dispensatione ordinati neque beneficium, nec Ecclesiasticam pensionem, nec ministerium ullum obire possunt in Ecclesia, ubi pater eorum dignitatem, aut beneficium obtinuit (8). Quin et ipse legitimus presbyteri filius, i. e. ex ju-

(1) *Clementin. un. de Homicid. voluntar.*
(2) *Cap.* In Archiepiscopatu *4. de Raptorib.* e ꝫ.
(3) *Cap.* Ex litteris *10. de Excess. Prael.* e ꝫ.
(4) *Cap.* Praelatis *2. de Homicid. in VI.*
(5) *Cap.* Sententiam *9. Ne Cleric. vel Monach.* e ꝫ.
(6) *Cap.* Ut Filii *1. de Fil. presbyt. ord.* e ꝫ.
(7) *Cap.* Nimis *18. eod.*
(8) *Cap.* Praesentium *3. de Fil. presbyt.* e ꝫ.

stis nuptiis susceptus ante ordinationem sine Apostolicae Sedis venia in sui patris beneficium proxime, h. e., nulla persona media, succedere nequit (1).

Arcentur quoque ab ordinibus VIII. bigami, h. e. qui post mortem unius aliam uxorem duxerint, propter suspicionem, quam praebuerunt incontinentiae. Est autem bigamia triplex, *vera*, *interpretativa*, *similitudinaria*. *Vera* est, quam proxime significavimus, nempe duplex conjugium. *Interpretativa* dicitur, ubi non re, sed vi ac potestate duplex conjugium consideratur, veluti si quis ducat uxorem alio marito viduatam (2), aut ab alio fornicarie corruptam (3), vel virginem, quae post nuptias alteri prius, quam conjugi suo se immiscuerit (4). *Similitudinaria* bigamia dicitur, cum quis sacro decoratus ordine, aut continentiae voto devinctus uxorem ducit etiam virginem, cumque ea rem habet. Quamvis enim irritas nuptias contrahat, ut tamen affectus contrahendi puniatur, pro bigamo habetur (5). Postrema isthaec bigamiae species Episcopi dispensatione deletur (6), ne ordinibus suscipiendis obstet; cum superiores Pontificia venia tollantur. Bigamia autem non solum aditum praecludit ad ordines; sed et minores clericos ad laicalem redigit conditionem; ut nec viventibus uxoribus, nec defunctis, ad divinorum possint celebrationem admitti, uti rescripsit Caelestinus III. (7). Ceterum bigamos omni privilegio Clericali nudatos, et coër-

(1) *Cap.* Ad extirpandas *11. eod.*
(2) *Can.* Si quis viduam *8. Dist. L.*
(3) *Can.* Maritum *2. Dist. XXXIII.*
(4) *Can.* Si cujus *2. Dist. XXXIV.*
(5) Cap. A nobis *7. de Bigam. non ordinand. e* ꝟ.
(6) *Cap.* Sane *4. de Cleric. conjugat. e* ꝟ.
(7) *Cap.* De bigamis *3. de Bigam. non ord. e* ꝟ.

citioni fori secularis addictos pronunciavit Gregorius X. (1).

Ab ordinibus suscipiendis etiam prohibentur IX. epileptici, et corpore vitiati, surdi et muti, quique insigni deformitate sunt notati, aut membro aliquo destituti; partim ne ordines aliorum ludibrio objiciant, partim quia corporis vitio ab ordinis exercitium non sunt idonei (2). His accensendi X. qui sua sponte sibi virilia secuerint, etiamsi id continentiae causa egerint (3). Eos vero, qui a medicis propter languorem, aut a Barbaris, vel a dominis abscissi sunt, ad clerum admitti Nicaeni Patres edixerunt (4). Quin XI. et qui in aegritudine constituti baptizantur, a presbyterio expulerunt Patres Neocaesarenses; necessitate enim magis quam fervore pietatis ad baptismum adducti videntur. Quod si convaluerint, suisque operibus studium pietatis ostenderint, aut hominum raritas exegerit, regula Ecclesiastica eos non excludet (5).

Praeter memoratas personas, etiam ab ordinibus arcentur XII. indocti, et illiterati (6); haeretici, et ab haereticis baptizati; apostatae; neophyti, et iterum baptizati (7). Postremo qui publicam poenitentiam egerunt, ab ordinibus removentur. Nota enim gravis criminis populi venerationem eis adimit (*a*).

(1) *Cap.* Alterationis *un. eod. in VI.*
(2) *Can.* Communiter *5. Dist. XXXIII. Can.* Qui in aliquo *5. Dist. LI.*
(3) *Can.* Si quis *9. Dist. LV.*
(4) *Can.* Si quis *7. eod.*
(5) *Can.* Si quis *1. Dist. LVII.*
(6) *Can.* Priscis *1. Dist. LV.*
(7) *Can.* Si quis *1. C. I. q. 7. Can.* Ventum *18. C. I. q. 1.*
(a) *Quaelibet crimina, quae publica poenitentia expiabantur, ab ordinibus arcebant olim. Seculo IX. per pseudo-Isidori merces discrimen invaluit inter publica crimina, et occulta, atque illis tantum irregularitas adscripta. Hujusmodi discrimen Gratiano placuit*

Ex poenitentibus, quamvis sit bonus, clericum non ordinari, voluerunt Carthaginienses Patres (1). Ceterum qui in dubio versatur, utrum admiserit, necne actum, quem irregularitas sequitur, eum irregularem reputari oportere, rescripsit Clemens III.; cum *in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem* (2).

Quae irregularitates ex temporario vitio promanant, sublato vitio evanescunt. Ita infantes, illiterati, servi, illegitimi, superveniente aetate, scientia, domini consensu, et subsequente matrimonio, ad ordines promoveri possunt. At irregularitates, quae ex perpetuo vitia oriuntur, nisi ex dispensatione, auferri non possunt. Dispensandi potestas olim penes Episcopos erat. Jure novo res isthaec ad Pontifices translata est. Episcopis relicta potestas est dispensandi in iis speciebus, quae in jure Pontificio nominatim non memorantur. Ita dispensant Episcopi in irregularitatibus omnibus ex delicto occulto manantibus, exceptis homicidio voluntario, ceterisque delictis apud judicem deductis (3). Non absimili ratione illegitimos, venia concessa, ad minores ordines, et simplicia beneficia promovent (4). Utcumque autem ea de re sit, dispensationes, causa cognita, sunt indulgendae, atque ubi id suadeat Ecclesiae utilitas.

can. 28. in fin. Dist. L. Inde passim a Canonistis receptum. Itaque jure novo irregularitas ex iis tantum criminibus oritur, quae infamiam sive juris, *seu* facti *irrogant. Cap. 87. de Reg. Jur. in VI., vel quae nominatim in Jure sunt expressa. Primi generis sunt haeresis, apostasia, crimen Majestatis, seditionis, foenoris, et alia hujusmodi. Secundi generis censentur baptismi iteratio, furtiva ordinis susceptio, ordinis non suscepti publicum exercitium, homicidium, et alia id genus.*

(1) *Can.* Ex poenitentibus *55. Dist. L.*

(2) *Can.* Ad audientiam *12. de Homicid. c*

(3) *Trid. sess. XXIV. de Ref. cap. 6.*

(4) *Cap. I. de Fil. presbyteror. c*

TITULUS XXXVIII.

De Vita, et Honestate Clericorum.

Vita Clericorum ita comparata esse debet, ut in omnibus actionibus nihil, nisi sanctum, et honestum praeseferat. Qui enim aliis exemplo praelucere, quique aliorum vitia perstringere debent, tales esse oportet, ut a nemine reprehendi queant (1). Quapropter non modo a crimine, sed a criminis suspicione immunes esse debent. Hinc Patres Cartaginienses edixerunt, ut nec Episcopi nec presbyteri, nec ulli alii Clerici *soli habeant accessum ad virgines, vel viduas, nisi aut clerici praesentes sint, aut graves aliqui Christiani* (2). Et Hieronymus ita Nepotianum monet: *Si propter officium clericatus aut vidua a te visitatur, aut virgo, numquam domum introeas: tales habeto socios, quorum contubernio non infameris* (3). Quin Nicaeni Patres Episcopos, ceterosque clericos *subintroductas* pietatis studio apud se habere prohibuerunt, eisque tantum indulserunt, ut matrem, vel sororem, vel amitas haberent, vel eas solas personas, quae suspicionem effugiunt (4) (*a*).

(1) Chrysost. *lib. V. cap. 3. de Sacerdot.*
(2) *Conc. Carthag. III. can. 25.*
(3) Hieron. *ad Nepotian. ep. II.*
(4) *Conc. Nicaen. can. 3.*
(a) Subintroductae, *quae et* agapetae, *et sorores dictae sunt, neque uxores erant, neque concubinae, sed veluti tertii generis mulieres, quas pietatis causa clerici fovere dicebantur. Ipsae ex virginibus, aut viduis plerumque adscitae. Earum usus a primis usque temporibus invaluit, et exeunte seculo 11. adhuc servabatur.* Tertull. *de Monogam. cap. 16. Cum vero* agapetarum consuetudo *in turpe consortium degenerasset, Nicaeni Patres can. 3. et Ancyrani can. 16. clericis earum consortio interdixerunt. Verum mali labes*

Praeterea clericos aleis abstinere jubent Ecclesiasticae regulae. Aleae nominae designantur ludi omnes qui ab ancipiti fortunae pendent eventu. Ea ab initio non fuit clericis interdictum. Sed ob ingruentia inde mala ipsi Principes aleam proscripserunt; et Justinianus contractus omnes in ludo celebratos irritos pronunciavit, victoque solutae pecuniae dedit repetitionem (1). Concilium autem Eliberitanum fideles, qui alea luserint, a communione jubet abstinere. Quod si emendati cessaverint, post annum communioni reconciliari permisit (2). Nil itaque mirum, si canones Apostolici laicos, ac clericos aleis deservientes communione excludant (3).

A scenicis quoque ludis, et spectaculis clericos maxime abhorrere oportet. Apud ethnicos theatra erant Veneris templa; spectacula vero immanitate redundabant (4). Quare sub ipsis paganis Principibus Christiani et theatris, et spectaculis interesse vetabantur (5). Quamvis autem sub Christianis Imperatoribus idolatriam theatra non redolerent, levitatem tamen, et ad peccandum illecebras retinnerunt, quae sane cum clericorum moribus non conveniebant. Hinc Justinianus clericos aleis, ac spectaculis vacantes a sacra liturgia per Episcopos repelli jubet, et canonicam subire poenitentiam (6). Medio aevo adeo collapsi sunt clericorum mores, ut in ipsis Ecclesiis theatrales ludi fierent, et in ali-

iis sanctionibus non fuit extincta, imo clericorum mores in pejus ita sunt collapsi, ut Concilium Moguntinum an. 812. etiam matrem, amitam, sororem secum habere clericos prohibuerit. Sed hodie legem vicere mores.

(1) *L. ult. C. de Aleator.*
(2) *Conc. Eliberit. can. 79.*
(3) *Can. Apostolic. 42.*
(4) Tertull. *de Spectac. cap. 10.*
(5) Minuc. Felix *in Octavio cap. 30.* Lactant. *lib. VI. cap. 20.*
(6) *L. 34. C. de Episc. audient.*

quibus festis diebus *presbyteri*, *diaconi*, *ac subdiaconi insaniae suae ludibria exercere praesumerent.* Hinc Innocentius III. *hujusmodi ludibriosam corruptelam ab Ecclesiis* auctoritate sua extirpari jussit (1). Et in Concilio Lateranensi IV. idem Pontifex generatim praescripsit, ne Clerici *mimis*, *jaculatoribus*, *atque histrionibus intenderent* (2).

Cum vero perpetuum Altari ministerium Clerici debeant impendere, summa in ipsis requiritur sobrietas. Quapropter crapulam, et ebrietatem omnino vitiari jubentur *Episcopus*, *vel presbyter*, *vel diaconus ebrietatibus vacans vel cesset*, *vel deponatur*, decernunt Apostolici canones (3). Sed, lapsis moribus, clericos nimium ebrietati studentes coërcuit Innocentius III. in Concilio Lateranensi, ipsis ab officio vel beneficio suspensis, nisi a Superiore commoniti satisfecerint. Ebrietas enim *et mentis inducit exilium*, *et libidinis provocat incentivum* (4).

Quodlibet etiam turpe lucrum, ac praesertim usurarum acceptio a clericorum honestate abhorret. Nicaeni Patres ita edixerunt: *Quoniam* multi, *qui in canone recensentur* (i. e. clerici) *plura habendi studium*, *et turpe lucrum persequuntur divinae Scripturae obliti, quae dicit:* argentum suum non dedit ad usuram, *et foenerantes centesimas exigunt*, *aequum censuit sancta*, *et magna synodus*, *ut si quis inventus fuerit post hanc definitionem usuras ex mutuo sumere*, *vel eam in rem aliter persequi*, *vel sescuplas* ημιολιας (a) *exigere*,

(1) *Cap.* Cum decorem *12. de Vit. et Honest. cleric.*
(2) *Cap.* Clerici *15. eod.*
(3) *Apostol. can. 41.*
(4) *Cap.* A crapula *14. de Vit. et Honest. cleric.*
(a) *Usurae* sescuplae *continent totum cum dimidia ejus parte. Hieronymus in Ezechiel 18.* Solent in agris frumenti, et milii,

vel aliquid aliud excogitare turpis quaestus gratia, a clero deponatur, et sit alienus a canone (1). In eamdem sententiam iverunt Patres Eliberitani (2), Arelatenses (3), Carthaginienses (4), Laodiceni (5), et Trullani (6).

Clerici quoque mercaturam, et secularia quaevis negotia devitare jubentur. Divinis enim ministeriis addicti ab iis omnibus abstinere debent, quae a propriis muneribus avocant, atque avaritiam, turpemque quaestum praeseferunt. Ita canon VII. Apostolicus: *Episcopus, vel presbyter, vel diaconus seculares curas non suscipiat, alioquin deponatur*. Patres autem Arelatenses clericum *alienae rei conductorem, quive lucri gratia aliquod negotiationis genus exercuerit*, depositum a communione alienum pronunciarunt (7). In eamdem sententiam edixerunt Chalcedonenses Patres (8) ea sane de causa, quod *eorum, qui in clerum cooptati sunt, quidam propter turpe lucrum alienas possessiones conducant, et secularia negotia exerceant, divinum ministerium negligentes*. Si quis vero Clericus negotiationi det operam, ut ex quaestu pauperibus opem ferat, adversus eum Ecclesiasticae regulae locum non habent. Id et ad eos referri debet,

vini, et olei, ceterarumque specierum usurae exigi ... Verbi gratia ut hyemis tempore demus decem modios, et in messe recipiamus quindecim, *h. e.* amplius partem mediam. *Hujusmodi usurae non modo clericis vetitae a Concilio Nicaeno can. 17. et Laodiceno can. 4., sed ab ipso Justiniano proscriptae, qui nemini ultra centesimas usuras foenerari permittit. l. 26. C. de Usur.*

(1) *Conc. Nicaen. can. 17.*
(2) *Conc. Eliberit. can. 20.*
(3) *Conc. Arelat. I. can. 12.*
(4) *Conc. Carthag. III. can. 16.*
(5) *Conc. Laodic. can. 4.*
(6) *Conc. Trull. can. 10.*
(7) *Conc. Arelat. I. can 14.*
(8) *Conc. Calced. can. 3.*

qui horas subsecivas alicui opificio impendunt, ut sibi ipsi liberale aliquod alimentum procurent, cum ex altari satis ad vitam non habeant. Atque huc respexisse videntur Eliberitani Patres, ubi ita statuerunt: *Episcopi, Presbyteri, et Diaconi de locis suis negotiandi causa non discedant, nec circumeuntes provincias quaestuosas nundinas sectentur. Sane ad victum sibi conquirendum aut filium, aut libertum, aut mercenarium, aut amicum, aut quemlibet mittant; et si voluerint negotiari, intra provinciam negotientur* (1).

Ex eodem principio manat, ut Clerici nec sponsores esse possint, nec vadimonium promittere, *ne sanctis domibus damnum fiat, et sacra ministeria impediantur*, ut ait Justinianus (2). Ceterum jure Neapolitano licet Clerici a jurisdictione exercenda, et a causarum patrociniis suscipiendis prohibeantur (3); tamen suas lites, consanguineorum, affinium, Ecclesiarum, personarumque miserabilium defendere possunt (4). Clericis denique interdictum militiae nomen profiteri, publicisque se immiscere administrationibus: *Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, qui publicis administrationibus se immiscuerit, quive militiae vacaverit, et simul utrumque retinere voluerit tam officium Romanum, quam functionem sacerdotalem, deponitor. Quae enim Caesaris sunt, Caesari, et quae Dei, Deo* (5).

Praeter ea, quae huc usque memoravimus, quaeque a clericorum ministerio maximopere abludunt, plura quidem sunt, quae clericos praestare oportet. Itaque in omnibus tales se praebere debent, ut omni-

(1) *Conc. Eliberit. can. 19.*
(2) *Nov. 123. cap. 5.*
(3) *Pragm. 1. de Eccles. Person.*
(4) *Const.* Advocatos. *De praest. sacram. ab advoc.*
(5) *Can. Apost. 82.*

bus exemplar sint ad imitandum. Eorum quidem gestus, sermones quidquam vani, intemperantis, licentiosi continere, nefas. Patres Carthaginienses *clericum scurrilem, et verbis turpibus joculatorem ab officio retrahunt* (1); *clericum inter epulas cantantem excommunicant* (2).

Itidem in victu frugales, in vestitu modesti clerici esse debent. Pauperum enim patrimonium in vanos sumtus impendi, nefas. Sane Sacerdotii dignitas ita est comparata, ut modestia crescat, fastu vero, et mundanis pompis despiciatur. Hinc Patres Carthaginienses edixerunt, *ut Episcopus* non longe ab Ecclesia hospitiolum habeat, utque *vilem supellectilem, et mensam, ac victum pauperem habeat, et dignitatis suae auctoritatem fide, et vitae meritis quaerat* (3). In hanc sententiam egregie more suo Hieronymus Nepotianum adloquitur: *Turpe est, ante fores Sacerdotis Christi crucifixi, et pauperis, qui cibo quoque vescebatur alieno, lictores Consulum, et milites excubare; judicemque provinciae melius apud te prandere, quam in Palatio* (4).

Postremo, ut reliqua omnia praeteream, ubi de fide tuenda agitur, clericorum est, eam animi firmitatem praeseferre, quam tantae rei moles postulat. Qua quidem in re exempla imitari praestabit Athanasii, et Basilii; quorum ille calumniis, conviciis, blanditiis Arianorum numquam cessit; hic vero ipsum Praefectum Arianorum errori studentem in tantam admirationem constantia sua rapuit, ut se ab eo victum apud ipsum Valentem Imperatorem conclamaverit (5). Ceterum licet Clericis animi ma-

(1) *Conc. Carthag. IV. can. 60.*
(2) *Id. can. 63.*
(3) *Conc. Carthag. II. can. 14. et 15.*
(4) Hieron. *ad Nepotian. Ep. II.*
(5) Gregor. Nazianz. *de laud. Basil. Orat. 20.*

gnitudine sit opus, mansuetudinem tamen, modestiam, animi demissionem, et praesertim prudentiam in cura animarum, et in reliquis clericalibus officiis comites, et adjutrices eos habere, necesse est. Id veteres Patres passim inculcant (1).

De Studiis Clericorum.

Qui *artem artium* i. e. curam animarum profitentur, ii omnibus instructi esse debent, sine quibus illa exerceri nequit. Rectoribus animarum divini verbi praedicatio incumbit, quae sine multa eruditione, et doctrina non peragitur. Apposite Hieronymus in Sacerdote et scientiam, et sanctitatem requirit, ut par sit suis muneribus explendis (2).

Cum vero, ipso Hieronymo auctore, Domini Sacerdos non sit, qui legem Domini ignorat (3), Episcopos, reliquosque Clericos Sacrae Scripturae operam navare oportet, quam Ambrosius eleganter *Sacerdotalem librum* appellat (4). Ad rem Patres Concilii Nicaeni II.: *Substantia Sacerdotii sunt eloquia divinitus tradita, i. e. vera Divinarum Scripturarum disciplina* (5).

Post Sacram Scripturam Clerici Ecclesiasticis regulis addiscendis operam navare debent. Toletani Patres ita edixerunt: *Sciant Sacerdotes Scripturas Sanctas, et canones meditentur* (6). Et Caelestinus I. *Nulli sacerdotum liceat sacros canones ignorare* (7). Post sacrorum canonum lectionem plu-

(1) Chrysost. *de Sacerdot. lib. III. cap. 18. lib. IV. cap. 4.* Nazianzen. *de laudib. Athanas. orat. 21.*
(2) Hieron. *Ep. II. ad Nepotian.*
(3) Hieron. *Comment. in Aggaeum.*
(4) Ambros. *lib. III. de Fid. cap. 7.*
(5) *Conc. Nicaen. II. can. 2.*
(6) *Conc. Tolet. can. 15.*
(7) Caelest. *Ep. III. cap. 1.*

rimum etiam operae clericos impendere oportet in veterum Patrum libris versandis. Hinc Hieronymus Nepotianum in eo laudat, quod ex adsidua Patrum lectione adeo profecerit, ut ex tempore eorum verba recitaret; *Illud Tertulliani*, *istud Cypriani*, *illud Hilarii est* (1).

Cum porro Sacrorum librorum difficilis quandoque sit explanatio, temporum historiam, linguarum Orientalium scientiam, et gentium mores norit interpres oportet. Cumque interdum adversus eos decertandum sit, qui unam rationem ducem sequi se dictitant, hinc a clericorum instituto profana eruditio non abhorret; modo ad Sacrarum Scripturarum, et Ecclesiasticarum regularum intelligentiam traducatur. Profecto celebriores Ecclesiae Patres profanae eruditioni plurimam operam dedisse, nemo ignorat. Inter omnes eminent Origenes, Hieronymus, Augustinus, qui ita sacris profana adjunxerunt, ut de Ecclesiae hostibus triumpharint. Novimus quidem, Patres Carthaginienses gentilium librorum lectione interdixisse Episcopis; haereticorum autem lectionem *pro necessitate*, *et tempore ipsis permisisse* (2). Sed eam lectionem Patres vetant, quae tamquam primaria instituitur, neglectis Scripturis, et Ecclesiasticis constitutionibus: quod nonnullis e clero in veteri aetete placuisse, non negamus.

Illud disceptari solet, an juris civilis, et medicinae studium clericorum moribus apte conveniat. Equidem veteres Patres ea de re silent; ut facile intelligi possit, hujusmodi controversiam prioribus seculis non esse subortam. Medio autem aevo Clerici adeo jurisprudentiae incubuerunt, ut, divinis Scripturis posthabitis, *legum scita*, *et forense li-*

(1) Hieron. *ad Nepotian. ep. II.*
(2) *Conc. Carthag. IV. can. 16.*

tigium tantum nossent (1). Ea de causa Honorius III., quo Theologiae studium promoveret, edicto vetuit, ne clerici, vel monachi juri civili operam navarent (2). Indecorum enim, et inglorium clerico est, neglectis Scripturis, et canonibus, jurisprudentiae ob avaritiam incumbere, et in foro versari litis causa. Ceterum isthaec constitutio effectu caruit ea potissimum de causa, quod ipsi Pontifices in suis rescriptis pleraque ex jure civili mutuantur, quae propterea sine ejus juris notitia intelligi nequeunt.

Quod vero ad medicinam attinet, medio aevo Episcopi, et Monachi, praesertim Cassinenses, plurimam ei dederunt operam (3). Cum vero impensius hujusmodi studium prosequerentur ad suam avaritiam explendam, Alexander III. in Concilio Turonensi an. 1180. edixit, ne Monachi ad physicam, legesve mundanas legendas permittantur exire: si vero exierint, et intra duorum mensium spatium ad claustrum suum non redierint, excommunicatos pronunciavit (4). Hanc prohibitionem Honorius III. ad omnes praesbyteros, et personas Ecclesiasticas extendit (5). Et Innocentius III. chirurgia monachis interdixit, ne alicui mortem inferentes Sacerdotalis ordinis executione excidant (6).

De Clericorum Vestibus.

Priscis Ecclesiae seculis Clerici receptis in propria civitate vestibus utebantur nil a reliquis Christianis discrepantes. Nonnulla Concilia Clericos vestes adhibere jubent, quae suo ordini conveniant;

(1) Petrus Damian. *lib. I. ep. 15.*
(2) *Cap.* Super 10. *Ne Cleric. vel Monach.*
(3) *Auct. Histor. Civ. lib. X. cap. 11.*
(4) *Cap.* Non magnopere 3. *Ne Cleric. vel Monach.* e ij.
(5) *d. Cap.* Super *eod.*
(6) *Cap.* Tua nos 19. *de Homicid.* e ij.

sed nullam vestium formam praescribunt. Ad rem Hieronymus ad Nepotianum: *Vestes pullas aeque devita, ut candidas. Ornatus, et sordes pari modo fugiendae sunt; quia alterum delicias, alterum gloriam redolet* (1). Temporis lapsu pro locorum diversitate diversi coloris vestes in usu fuerunt. Constantinopoli aetate Chrysostomi Clerici Catholici plerumque pullis, et Novatiani albis utebantur vestibus (2). Et Concilium Carthaginiense IV. praecipit quidem, ut Clerici vestem deferant, quae vitae suae rationi respondeat; sed nihil ea de re nominatim cavet. Tantum clericos nec vestibus, nec calceamentis decorem quaerere jubet (3), quod et Concilii Agathensis Patres etiam statuerunt (4).

Postquam barbarae gentes Occidentem invaserunt, cum laici breves vestes a barbaris mutuati forent, Clerici a veteri vestiendi more non discesserunt (5). Inde factum, ut apud veteres Scriptores *Ecclesiasticus*, et *secularis* habitus ex ea tempestate memorari coeperit. Eodem hoc tempore in Oriente Clerici propriis vestibus distinguebantur (6). Ceterum quidquid de vestium clericalium forma sit, Clerici certi coloris vestes deferre non cogebantur in Occidente. Sane Concilium Narbonense an. 589 purpureis tantum vestibus Clericis interdixit, quippe quae secularibus magistratibus magis convenirent. Et Concilium Lateranense sub Innocentio II. id unum clericos jussit; ne *supurfluitate, scissura, et colore vestium* alios offenderent, sed nullum certum colorem praescripsit (7). Quapropter nigri coloris ve-

(1) Hieron. *ad Nepotian. ep. II.*
(2) Socrat. *lib. VI. cap. 22.*
(3) *Conc. Carthag. IV. can. 45.*
(4) *Conc. Agathens. can. 20.*
(5) Thomass. *P. I. lib. II. cap. 46.*
(6) *Conc. Trull. can. 27.*
(7) *Conc. Lateran. II. c. 15.*

stes, et oblongae posteriori aevo clericis in usu esse coeperunt. Patres quidem Tridentini vestitum decentem Clericis praescribunt (1), de colore nihil edicunt. At Synodus Provincialis I. Neapolitana cap. 22. clericos jubet deferre *vestem superiorem, ac interiorem talarem, ac nigri coloris quemadmodum et pallium, quod vulgo* Ferrajolum *vocant, ut clericali convenit honestati . . . Dum autem pedibus iter faciunt, vestibus uti poterunt contractioribus; ex quibus tamen Clericus facile cognoscatur.*

Praeter vestem clericalem Clerici eo corporis cultu incedere debent, qui ipsorum gravitatem sine ulla morositate exprimat. Itaque res isthaec ex regionum moribus definiri poterit. Quapropter cum in Imperio Romano viri honestiores generatim nec longam nutrirent comam, nec raderent capillos, quod barbaris, militibus, luxuriosis hominibus erat in more positum, hinc clerici honestiorum virorum semita incedentes capillos eousque demittebant, quo cutis operiretur. Barbae autem abrasio foemineum quid redolebat. Proinde ab Hadriani fortasse aetate barba aut promissa in more fuit, aut certe sic decurtata, ut faciem non denudaret. Tantum in summo luctu barba, caputque radi solebat, ubi testatur Hieronymus (2). A receptis itaque moribus non abhorrentes Clerici et prolixam barbam, et detonsum caput deferebant. Hinc Patres Carthaginienses: *Clericus nec comam nutriat, nec barbam radat* (3).

Labente tempore, barbae consuetudinem retinuere Orientales, Occidentales abjecerunt. Sexto seculo ex Longobardorum fortasse moribus in Italia barba vulgo radebatur. Id in causa fuit, quapropter

(1) *Conc. Trid. sess. XXIV. de Ref. cap. 12.*
(2) Hieron. *in Isaiam cap. 15.*
(3) *Conc. Carthag. IV. can. 44.*

post Ivonem, et Burchardum Raymundus, ut receptis moribus inserviret, Carthaginiensem canonem decurtarit, detracta voce *radat* (1). Ceterum barbae rasae vocabulo et ipsa tonsura fuit conclusa. Proinde post seculum X. *tonsurae* nominae et barba abrasa, et corona clericalis fuit designata (2).

Postquam a laicis per vestes, et tonsuram distincti sunt Clerici, eas seu simul cum ordinibus, seu seorsim susceptas deferre jubentur, Gregorius quidem M. apud Raymundum ita inquit: *Si quis ex Clericis comam relaxaverit, anathema sit* (3). Et Alexander III. Clericos, qui comam nutriunt, et barbam, etiam invitos a suis Archidiaconis tonderi rescribit (4). Postremo Tridentini Patres fori privilegio Clericos spoliarunt, qui clericalem habitum non deferentes alicui Ecclesiae non deservirent (5).

TITULUS XXXIX.

De Clericorum Coelibatu.

Qui Christianum Sacerdotium profitentur, a nuptiis debent abstinere. Eos enim aut virgines decet esse, aut certe continentes exemplo Apostolorum, quorum licet plerique mariti antea fuerint; a Christo tamen ad Apostolatum vocati ab uxoribus continuo abstinerunt (6). Id moris altero Ecclesiae seculo passim receptum videtur. Sane Origenes ita habet: *Illius est solius offerre sacrificium indesi-*

(1) *Cap.* Clericus *5. de Vit. et Honest. cleric.*
(2) *Conc. Bituric. can. 7.*
(3) *Cap.* Si quis *4. de Vit. et Honest. Cleric. Hoc caput perperam inscribitur Gregorio IX.*
(4) *Cap.* Clericis *7. eod.*
(5) *Conc. Trid. Sess. XXIII. de Ref. cap. 6.*
(6) Hieron. *Epist. 50.*

nens, qui indesinendi, et perpetuae se devoverit castitati (1).

Jam vero primis Ecclesiae seculis nulla Ecclesiastica lege Sacerdotibus continentia fuit indicta. Posteriori aevo, ubi plurimus virginitati accessit honos, pluresque se ei devoverunt, multi virgines ad sacerdotium fuerunt delecti, licet uxorati non fuerint exclusi. Quapropter in Canonibus Apostolicis ita habetur: *Episcopus, aut presbyter uxorem propriam nequaquam obtentu religionis abjiciat; si vero rejecerit, excommunicetur* (2). Patres Neocaesareenses uxores a Clericis dimitti jubent, ubi adulterio se polluerint; quod si Clerici eas retinere velint, suscepto ministerio perfrui vetant (3). Postremo Patres Gangrenses ita statuunt: *Quicunque discernit presbyterum conjugatum, quod non oporteat, eo ministrante, de oblatione percipere, anathema sit* (4). Qui canon errorem Eustathii respiciebat, qui docuit, presbyterorum conjugatorum communionem devitandam. Ex his omnibus apparet, primis Ecclesiae temporibus nullam virginitatis, aut continentiae legem clericis in oriente fuisse indictam.

Temporis lapsu e re Ecclesiastica visum est, clericis post sacros ordines susceptos nuptiis interdicere. Longe ante Concilii Nicaeni tempora jus istud receptum, quod propterea Paphnutius *veterem Ecclesiae traditionem* appellavit (5). Quare Neocaesareensibus Patribus placuit, presbyterum ab ordine deponi, qui uxorem duxerit (6). Et canonibus Apostolicis praescribitur, ut clerici, si voluerint, *uxo-*

(1) *Origen. Homil. 23. in Numer.*
(2) *Can. Apost. 6.*
(3) *Conc. Neocaesar. can. 8.*
(4) *Conc. Gangrens. can. 4.*
(5) Socrat. *lib. I. cap. 11.*
(6) *Conc. Neocaesar. can. 1.*

res accipiant, *sed Lectores*, *Cantoresque tantum* (1). Ceterum in dubium revocari illud nequit, ipsis Diaconis, qui in ordinatione protestati sint, ab uxoribus abstinere non posse, ex Episcopi venia uxores ducere licuisse, quod Ancyrani Patres diserte edixerunt: *Diaconi*, *si in ipsa ordinatione protestati sint*, *dicentes*, *velle se habere uxores*, *nec posse se continere*, *hi postea si ad nuptias venerint*, *maneant in ministerio*, *propterea quod his Episcopus licentiam dederit* (2). Sed isthaec disciplina in Oriente obtinebat. In Occidente vero Diaconi nullo pacto nuptias poterant inire. Hinc Martinus Bracharensis Ancyranum canonem ad Latinae Ecclesiae disciplinam accommodavit, ubi illum ita profert: *Diaconus*, *qui eligitur*, *si contestatus fuerit pro accipiendo matrimonio*, *et dixerit*, *se in castitate non posse manere*, *non ordinetur* (3).

Post Concilii Nicaeni tempora majoribus clericis continentia in Oriente fuit praescripta. Id testatur Hieronymus, ubi adversus Vigilantium virginitatis hostem infensissimum ita scribit: *Quid facient Orientis Ecclesiae? Quid Aegypti*, *et Sedis Apostolicae*, *quae aut virgines clericos accipiunt*, *aut continentes*; *aut*, *si uxores habuerint*, *mariti esse desistunt* (4). Idem affirmat Epiphanius, qui ait, sacerdotium ex iis constare, *qui a suis se uxoribus continent*, *aut secundum unas nuptias in viduitate versantur*. Quin et illud addit, *continentiam in iis locis servari*, *ubi Ecclesiastici canones servantur*; atque ex necessitate evenire, ut alicubi presbyteri, diaconi, et hypodiaconi liberos suscipiant (5).

(1) *Can. Apost.* 27.
(2) *Conc. Ancyr. can.* 9.
(3) Mart. Brachar. *P. I. cap.* 39.
(4) Hieron. *adv. Vigilant.*
(5) Epiphan. *Exposit. Fid. Cathol. et Haeres.* XIX.

Ita quidem de continentia se res habuit in Oriente. At in Occidente alia rerum facies fuit. Patribus Eliberitanis *placuit, in totum prohibere Episcopis, presbyteris, diaconis, subdiaconis positis in ministerio, abstinere se a conjugibus suis: quod quicumque fecerit, ab honore clericatus exterminetur* (1). Tum Siricius Papa Episcopis, presbyteris, et diaconis praecepit, ut ab uxoribus ante ordinationem ductis omnino abstinerent (2). Idem porro praescripserunt Innocentius I. (3), Leo M. (4), et Patres Concilii Carthaginiensis II. (5).

Porro Ecclesiasticae regulae clericos tantum majores respiciebant; de clericis minoribus inter quos hypodiaconi censebantur, diversi fuerunt Ecclesiarum mores. Apostolici canones post acceptam ordinationem unis Lectoribus, et Cantoribus uxores ducere permittunt (6). In Africa Lectores, ubi ad pubertatem perveniebant aut nuptias inire cogebantur, aut continentiam profiteri (7). Ceterum minores Clerici nulla lege ab usu matrimonii fuerunt exclusi. Tantum tempore Leonis M. ab uxoribus abstinuerunt hypodiaconi Ecclesiae Romanae (8). At sub initia seculi IV. Patres Eliberitani Subdiaconos ab uxoribus abstinere edixerunt (9). Sed isthaec disciplina ne apud ipsos quidem Hispanos diutius stetit. Lapsu temporis hypodiaconis inter majores clericos recensitis lex continentiae praescripta est. In Concilio Aurelianensi III. ita fuit constitutum: *ut nullus*

(1) *Conc. Eliberit. can. 33.*
(2) Siric. *ep. ad Himer. Tarracon. et ep. IV. ad Afric. cap. 9.*
(3) Innocent. I. *ep. ad Victric. Rothomag.*
(4) Leo M. *ep. 84. ad Anastas. Thessalonic.*
(5) *Conc. Carthag. II. can. 2.*
(6) *Can. Apost. 27.*
(7) *Conc. Carthag. III. can. 19.*
(8) Leo M. *ep. 84. ad Anast. Thessalon.*
(9) *Conc. Elibcrit. can. 33.*

Clericorum a subdiacono, et supra, quos uxores in proposito suo accipere inhibetur, propriae, si forte jam habeat, misceatur uxori; quod si fecerit, laica communione contentus ab officio deponatur (1). Idem per Siciliam, et Brutios edixit Gregorius Magnus (2). Et severiori fortasse lege ita statuerunt Concilii Toletani VIII. Patres: *qui ad Ecclesiastica officia assumuntur, si ad conjugia redire attentaverint omni Ecclesiastica dignitate priventur, et Apostatae habeantur, et in monasterium, donec vixerint, sub poenitentia retrudantur* (3).

Medio aevo seu ob barbararum gentium in Europam incursiones, seu ob Episcoporum oscitantiam clerici, ac monachi Ecclesiasticis regulis neglectis, aut uxores palam ducebant, aut cum concubinis consuetudinem inibant. Isthaec licentia usque ad XI. seculi medietatem Europam pervasit. Ea autem tempestate abjectae continentiæ reparandæ plerique Pontifices operam collocarunt suam. Primus adversus incontinentes clericos signum extulit Leo IX., cujus vestigiis qui secuti sunt Pontifices institere, ac prae ceteris Gregorius VII. Pontificum constitutionibus restitere incontinentes Clerici, qui malle conjugium, quam sacerdotium, conclamabant. Itaque Pontificii conatus adversus Clericorum sive uxores, seu concubinas vani evaserunt; et seculo XII. passim per Europam concubinarum usus obtinebat. In regno Neapolitano sub Regibus Andegavensibus Clericorum concubinae in usu erant frequentissimo; ut eas fori privilegio uti oportere Clerici contenderent, utpote quae ad ipsorum familiam pertinerent (4). Quin Rex

(1) *Conc. Aurelian. III. can. 1.*
(2) *Lib. I. ep. 42. et Lib. III. ep. 5.*
(3) *Conc. Toletan. VIII.*
(4) *Auctor. Histor. Civil. lib. XIX. cap. 5.*

Robertus cum plura de laicorum concubinis edixisset, et ad concubinas Clericorum produci noluit (1). Tandem Tridentini Patres, qui sacris ordinibus initiantur continentes esse jusserunt (2), uxoratis a sacro ministerio rejectis.

TITULUS XL.

De Monachis.

Monachorum origo non est altius repetenda, quam a temporibus Diocletianae, aut Decianae persecutionis (*a*). Ea tempestate Paulus Aegyptius in vastam solitudinem recessit, et suo exemplo eremitarum, et monachorum fundamenta jecit. Tum Antonius studio vitae perfectioris, rebus distractis, atque in pauperes erogatis, in eremum se recepit, monachos collegit, coenobitas instituit (3). Hinc Hieronymus Paulum anachoreseωs auctorem praedicat, illustratorem Antonium (4). Plurima exinde Monasteria in Aegypto fuerunt excitata, et Monastici nominis fama ita orbem implevit, ut Constantinus, auditis Antonii laudibus, litteras ad eum admodum honorificas dederit (5). Ab Aegypto monastica disciplina ve-

(1) Chioccarell. *M. S. Jurisdict. tom. X.*
(2) *Trid. sess. XXIV. can. 9.*
(a) *Sunt, qui Monachorum originem ab Apostolis arcessunt; nec desunt, qui e veteri testamento, nimirum ab Helia, Eliseo, Recabitis, Nazaraeis, et Joanne Baptista Monachorum stemma repetunt. Sed cum Monachorum nomen, et institutum longo post Apostolos tempore fuerit auditum, et qui e veteri Testamento laudantur, potius adumbrarunt figuram Monachorum, facile utramque sententiam refellas. Nec fortasse aliud sibi voluit Hieronymus in lib. de Scriptor. Ecclesiast. cap. 11. et epist. ad Paulin. et ad Rustic.: quae loca expendere instituti ratio non patitur.*
(3) Athanas. *in vit. Anton.*
(4) Hieron. *ad Eustoch.*
(5) Athanas. *in vit. Anton.*

nit in Syriam, et Palaestinam, ubi asceticum institutum adeo inclaruit, ut aetate Hieronymi Syria cum Aegypto certaret de numero monasteriorum, et laude vitae monasticae (1). Non longo temporis intervallo elapso, monachi lata propagine per totum terrarum orbem fusi; et monasteria non modo in locis desertis, verum in vicis, suburbiis, ipsisque urbibus constructa fuerunt (2).

Jam vero Monachorum nomen ante Constantini tempora inauditum. Qui enim hujusmodi vitae genus prima Ecclesiae aetate colebant, Θεραπέυται vocantur a Dionysio Areopagita (3). Monachi autem dicti sunt *a solitudine* a Greca voce *μονος solus* (*a*), qui et alio nomine A'σκηται sunt appellati. Eorum duo fuerunt praecipua genera Alii quidem statim eremum et solitudinem petierunt, *Eremitae*, nuncupati; alii vero horrorem vastae solitudinis non ferentes *Coenobia* sibi construxere, *Coenobitae* dicti.

Eremitis autem non unum vitae genus fuit. Nonnulli secreta solitudinis optaverunt, et in tuguriis et cellulis orationi, et caelestium contemplationi operam assiduam dabant (4). Alii in mortuorum monumentis se includebant Μεμὸριται a Graecis appellati (5). Quidam caelo tantum pro tecto usi per deserta vagabantur, incertis sedibus, herbarum radicibus vescentes, Βοσκοι propterea, i. e. *Silvestres*

(1) Hieron. *in Isaiam cap. 19.*

(2) Augustin: *de Morib. Eccles. Cathol. cap. 31.* Chrysost. *in Matth. hom. 33.*

(3) *De Ecclesiast. Hierarch. cap. 6.*

(a) *Apposite Hieronymus ep. 13. ad Paulin.* Sin autem cupis esse, quod diceris, monachus, i. e. solus, quid facis in urbibus, quae utique non sunt solorum habitacula, sed multorum? *Et idem ad Heliodor.* Interpretare vocabulum monachi, h. e. nomen tuum: quid facis in turba, qui solus es.

(4) Hieron. *in vit. Hilarion.*

(5) *Conc. Chalced. Act. IV.*

dicti (1). Non defuere, qui in columnis sub dio starent perpetuas Deo preces offerentes. Hujus propositi auctor Simeon Στηλιτης i. e. *columnarius* ex eo nuncupatus (2). Fuerunt et Ἀκοίμητοι *insomnes* qui perpetuas diu noctuque, per vices divisis officiis, Deo laudes canebant (3). Hi aetate Justiniani a veteri instituto dilapsi, et Nestorii erroribus infecti à Joanne Romano Pontifice fuerunt damnati (4).

Primus in oriente Basilius ex monacho Episcopus Caesareensis renunciatus monachos ex eremo in suam dioecesim evocavit. Tum multa monasteria construxit; ubi coenobitis certam regulam dedit, quae a monachis Basilianis adhuc observatur; et quamplurima ascetoria virginibus aedificavit. Ab Athanasio porro Episcopo Alexandrino Monachi, et sacrae virgines Romam advecti pedetentim totam Italiam, atque universum Occidentem peragrarunt. At in Occidente Benedictus post triennalem vitam in spelunca apud Sublacum exactam, monasterium Religionis caput futurum construxit in editissimo monte apud Casinum, regulamque suis monachis scripsit, quam deinde, quae postmodum excitata sunt Monasteria, certatim excepere.

Per annos plurimos Basiliani, et Benedictini soli orbem implerunt. Verum cum Benedictinus ordo mirum in modum excrevisset, et districtioris regulae observantia foret dilapsa, inde Ordines varii emersere qui diverso schemate regulam Benedictinam pene deficientem excitarunt. Ita a S. Romualdo sub regula S. Benedicti instituti sunt Eremitae Camaldulenses an. 1012., et a Stephano de Mureto Gan-

(1) Sozomen. *lib. 6. cap. 63.* Sever. Sulpit. *de Monach. Oriental. Dial. I.*
(2) Theodoret. *d. Vit. Patr. cap. 26.*
(3) Nicephor. *lib. XV. cap. 23.*
(4) Evagr. *lib. III. cap. 19.*

dimontenses an. 1080. Tum an. 1084. a S. Brunone Ordini Carthusiano initium factum; et a Roberto Molismensi studio restituendae Benedictinae regulae jam dilabentis Cistercienses an. 1098. fuerunt instituti. Adeo autem Cisterciensis Ordinis monasteria increbuerunt, ut a Capitulo Generali Cisterciensi habito an. 1155. fuerit constitutum, ne amplius Monasteria ejus ordinis in posterum construerentur.

A veteri disciplina labentibus Benedictinis, et Cisterciensibus, suborium est novum genus fratrum Mendicantium. Hujus instituti principes Dominicus natione Hispanus, et Franciscus Assisio oriuntus. Ordinem Praedicatorum instituit Dominicus; Fratrum Minorum auctor Franciscus. Utrumque ordinem Pontificia auctoritate confirmavit Innocentius III. uti refert Abbas Uspergensis (1). Carmelitarum ordo Alberto Patriarchae CPolitano originem suam debet an. 1203. si fides Wernero (2); et ordo Eremitarum S. Augustini institutum fertur an. 1204. a quodam Guilelmo Parisiensi scholari. Augustinianum ordinem primus probavit Innocentius III. Cum autem intelligeret idem Pontifex, Ecclesiam mole Religionum, maxime Mendicantium laborare, in Concilio Lateranensi lata lege vetuit, ne deinceps ulla nova religio admitteretur (3). Id repetitum in Concilio Lugdunensi (4), a quo res ad quatuor Ordines Mendicantes redacta est, scilicet Praedicatorum, Fratrum Minorum, Eremitarum S. Augustini, et Carmelitarum. Sed legem vicere mores; et plerique ordines deinde emerserunt contra mentem Patrum Lugdunensium.

Porro Ecclesia sub jugo Saracaenorum laborante,

(1) Abbas *Usperg. in Chron. an. 1212.*
(2) Werner. *Fascicul. tempor.*
(3) *Cap. ult. de Religios. Domib. c ij.*
(4) *Cap. un. eod. in VI.*

Monachis, qui jugi oratione Deo militant, additi sunt ordines militares, novum genus Machabaeorum, qui manu, et precibus adversus Ecclesiae hostes pugnarent (*a*). Ac primum quidem Hierosolymis instituti sunt fratres Hospitales, seu Hospitalarii, seu milites S. Joannis Hierosolymitani nuncupati. Tum an. 1118. Templariis initium fecit Hugo de Paganis, et Gaufridus de S. Audemare, coenobio juxta Templum Domini constructo. Eorum unum idemque cum Hospitalariis munus fuit. Iis regulam, ac vestem candidam dedit Honorius II., et crucem rubram vesti addidit Eugenius. Ipsi pari fortuna usi, atque Hospitalarii ab jurisdictione Patriarchae CPolitani exemtionem accepere, atque a decimis solvendis eorum praedia fuerunt soluta. Tandem propter opum affluentiam collapsa disciplina, a Clemente V. in Concilio Viennensi an. 1321. e medio fuerunt sublati. Sub eadem ferme tempora Hierosolymis instituitur ordo Teutonicorum, auctore viro Teutonico, qui Xenodochium extruxit in gratiam Germanorum. Horum equitum munus itidem fuit peregrinos excipiendi, eosque defendendi a barbarorum insidiis. Hisce militaribus Ordinibus addi de-

(a) *Dum Hierosolyma in Saracaenorum potestate erat, Amalphitani negotiatores juxta sepulchrum Domini coenobium construxere, quod dictum est de Latina, de nomine fundatorum: id enim nomen omnibus Christianis Occidentalibus in Syria fuit. Coenobio adlecti monachi, iisque praepositus Abbas. Eorum munus fuit, peregrinos excipere, et fovere. Excrescenti in dies peregrinorum numero cum coenobium non sufficeret, adpositum est Xenodochium, in eoque altare S. Joannis Baptistae excitatum. Hi ab initio Abbati de Latina parebant, et Patriarchae CPolitano. Deinde fidelium liberalitate praediis aucti exemtionem ab utriusque jurisdictione impetrarunt, privilegio accepto de decimis non praestandis ex praediis suis. Iidem postea, omissis Hierosolymitanis sedibus, Rhodum armis occuparunt an. 1310., quam duobus fere seculis tenuerunt, donec a Solimano longa obsidione mutare solum coacti Melitam insulam Caroli V. Imperatoris beneficio acceperunt, Melitenses propterea dicti.*

bent, qui in Hispania, Lusitania, aliisque regionibus fuerunt instituti, de quibus passim Ecclesiasticae historiae Scriptores.

De Monachorum Praefectis.

Quemadmodum sine Duce exercitus regi non potest; ita et monachi sine Praefecto in officio contineri nequeunt. Hinc primum in eremo, deinde in vicis, et urbibus electus est unus a senioribus, qui gregi praeesset. Is ab aetate et officio, quod gerebat, *Abbas* i. e. *pater* fuit appellatus. Abbates autem, quemadmodum et alii Praelati Regulares, debent esse presbyteratus ordine initiati. Ipsi enim curam animarum habent officio adnexam (1). Potest tamen Monachus eligi Abbas, etsi presbyter non sit, modo tamen intra annum ad sacerdotium promoveatur; quod nisi fiat, Abbatis ordine privabitur (2). Tantum ex Apostolica dispensatione licet in minoribus ordinibus constituto, esse Abbatem (3). Item Abbas, et quilibet Prelatus regularis debet esse professus in ea Religione, in qua in Abbatem eligitur (4); nisi electus Pontificiam habeat dispensationem (5). Postremo ex legitimis ortus sit natalibus, oportet; illegitimus enim non prohibetur esse monachus, sed omnino arcetur a Praelaturis Regularibus (6).

Jam vero Abbas est Ordinarius Praelatus in suo Monasterio, et Ecclesiis sibi subjectis (7), et ha-

(1) *Cap. 1. de Actat. et Qualit. et Ord. Praeficiendor. e* ꝟ.
(2) *Clement.* Ne in agro §. Ceterum *de Stat. Monach.*
(3) *Cap.* Tuam *de Actat. et qualit. e* ꝟ.
(4) *Cap.* Cum Causam 28. *Cap.* Cum ad nostram 38. *de Elect. e* ꝟ.
(5) *Cap.* Officii — *eod.*
(6) *Cap. I. de Filiis presbyteror. e* ꝟ.
(7) *Cap.* Quanto *de Offic. Ordinar. e* ꝟ.

bet jurisdictionem quasi Episcopalem (1). Potestas vero Abbatis alia est oeconomica, alia ordinis et dignitatis, alia jurisdictionis. Ad potestatem occonomicam pertinet administratio bonorum Monasterii. Ea tamen alienare prohibetur, nisi ex causa necessitatis, aut utilitatis, et non sine consensu Capituli (2). Ad potestatem ordinis spectat ordinatio horarum canonicarum, omniumque rerum, quae ad divinum cultum referuntur (3). Eadem ordinis potestate fit, ut Abbas ex privilegio, vel consuetudine primam tonsuram, et ordines minores conferre subditis possit intra septa Monasterii sui (4). Quod si Abbas sit presbyter, et benedictus, potest ex speciali privilegio in Ecclesiis sibi pleno jure subjectis solemnem benedictionem fundere super plebem post Missarum solemnia, vel post horas matutinas, aut vespertinas (5). Jurisdictionis autem ratione Abbas professionem recipit monachorum (6), professis confert beneficia regularia (7), monachos corrigit, et convocat capitulum pro corrigendis fratribus (8), eosdem ob graviora delicta, et praemissa monitione, excommunicat, vel suspendit (9); atque ubi se in claustro percusserint, post coërcitionem, absolvit (10). Ceterum licet Abbas potestatem habeat in monachos, et subditos regulares; nulla tamen jurisdictione fungi potest in laicos, i. e., colonos possessionum Mo-

(1) *Cap.* Abbas. — *de Privileg. in VI.*
(2) *Clement.* Monasteriorum *de Reb. Eccles. alienand.*
(3) *Can.* Nullam. *C. 18. q. 2.*
(4) *Cap.* Abbas *de Privileg. in VI.*
(5) *Conc. Trid. Sess. XXV. de Regular.*
(6) *Cap.* Porrectum *de Regular.* e ꝫ.
(7) *Cap.* Cum singula *de Praebend. in VI.*
(8) *Cap.* Nimis prava *de Excess. Praelat.* e ꝫ.
(9) *Cap.* Reprehensibilis *de Appellat.* e ꝫ.
(10) *Cap.* Monachi *de Sent. Excommunic. cap.* Religioso *eod. in VI*

nasterii. Proinde cognitionem inter eos non habet causarum matrimonialium (1), nisi ex speciali privilegio, vel consuetudine (2). Hujusmodi enim causarum cognitio pertinet ad Episcopum (3) (*a*).

Porro Abbates ex privilegio habent insignia Episcopalia, baculum, mitram, annulum, sandalia, dalmaticam, chirothecas. Verum ne ornamentorum communione Episcopis pares omnino viderentur, Clemens IV. ita rem definivit, ut in Conciliis Abbates exemti mitris auriphrygiatis, sed sine gemmis laminisque aureis, vel argenteis uterentur: non exemti simplicibus et albis: in aliis vero functionibus utrisque liceret mitris uti, quas Sedis Apostolicae indulta permiserint (4). Ceterum praeter ornamenta Episcopalia Abbates habent sigillum authenticum, quod plenam fidem facit sine tabellione, ac testibus (5); et in Conciliis primum post Episcopos locum obtinent. Id colligitur ex actis Concilii Pisani sub Innocentio II., Lateranensis sub Innocentio III., et Tridentini, cui post Episcopos adsedere, et subscripsere Abbates.

Abbas porro a monachis eligitur, et ab Episcopo ordinatur, i. e., benedictionem accipit. Eligi

(1) *Cap.* Accedentibus *de Excess. Praelator. e* ꝫ.
(2) *Cap.* Auditis *de Praescript. e* ꝫ.
(3) *Cap.* Litteras *de Restitut. spoliat. e* ꝫ.
(a) *Rebus Ecclesiasticis in pejus sequiori aevo ruentibus, Abbates laici emersere in Monasteriis. Primus Carolus Martellus cum non haberet, unde stipendia militibus praestaret, ipsis Monasteria jure beneficii ad tempus, vel in perpetuum concessit. Carolus M. et Ludovicus Pius temporum iniquitati cedentes Comites, et Milites Abbatiarum concessione sibi obstrinxerunt.* Aymoin. lib. V. cap. 34. et 36. *A Regibus autem dabantur Abbatiae laicis vel in allodium*, Syn. Meldens. *can. 41. vel in feudum cum onere servitii militaris.* Annal. Fuldens. *ad an. 881. Ii* Abbicomites *dicti, qui Abbatiarum praedia in subfeudum militibus suis dabant.* Aymoin. *lib. V. cap. 34.*
(4) *Cap.* Ut Apostolicas 6. *de Privileg. in VI.*
(5) *Cap.* Inter electos, *Cap.* Quod superbis *de Fid. Instrum. e* ꝫ.

autem debet de gremio Monasterii, non extraneus, nisi idoneus in monasterio deficiat (1). Ex praescriptione autem, vel privilegio fit, ut Abbas ex alio monasterio evocetur (2). Qui vero professus non est, in Abbatem eligi prohibetur; secus electio ipso jure nulla est (3). Ceterum idem Abbas pluribus Monasteriis praeesse nequit (4); cum nemo in duobus, pluribusve monasteriis monachus esse possit, nisi unum ab alio pendeat (5). Illud autem certi juris est, electionem Abbatis non exemti ab Episcopo Dioecesano (6), Abbatis exemti a Romano Pontifice (7) confirmari oportere.

De Priore Conventuali, et Claustrali.

Alia sunt Monasteria, quae habent Abbatem, alia quae Priorem Conventualem Ηγουμενον agnoscunt (8). Neque hoc Latinis peculiare est, nam et Graeci Monasteria distinguunt, quibus praeest Abbas, ab iis, quibus Praefectus praesidet (9) (*a*).

(1) *Can.* Abbatem *C. XVIII. q. 2.*
(2) *Cap.* Cum dilectus *de Consuet. Cap.* Abbate *de V. S.*
(3) *Cap.* Nullus *de Elect. in VI.*
(4) *Cap. ult. de Relig. Domib.* e ij.
(5) *Cap. 1. de Privileg. in VI.*
(6) *L. 47. C. de Episc. et Cleric.*
(7) *Cap.* Nihil est *de Elect. Cap.* Abbatem *eod. in VI.*
(8) *Cap.* Monachi *de Statu Monachor.* e ij.
(9) *Conc. Nicaen. 11. can. 14.* Evagr. *lib. III. cap. 19.*
(a) *Hujusmodi Praefectura* Ηγουμενικ *a Graecis nuncupatur. Hinc sequioris aevi Latini, qui graecizare in deliciis habent, Hegumeni saepius mentionem faciunt. Paulus Diac. lib. XIX.* Et Gregorius Cappadox, qui et Clusuriarches exstiterat, deinde monachus factus, et Hegumenus Flori. *Id. lib. XXIII. de Constantino, et Irene.* Qui direxit Petrum Vicedominum Ecclesiae, et Petrum Hegumenum S. Sabae. *Et Anastasius in Hadriano I.* Direxit ejus ter Beatitudo ad eumdem Desiderium Regem suos Missos ad easdem recipiendas civitates, scilicet Pardum religiosum Hegumenum B. Sabae, et Anastasium primum Defensorem.

Is olim Praepositus dicebatur (1), hodie *Prior Conventualis*, et ab Abbate distat solo ferme nomine; nam potestate pares censentur. Quare Prior Conventualis Monachos corripit, excommunicat, suspendit (2), eodem pacto eligitur, atque Abbas (3). Prioratus enim Conventualis est beneficium electivum, nisi aliud ex consuetudine obtineat (4). Praeterea Prior Conventualis habet dignitatem, ut proinde ad exequenda mandata Apostolica a Summo Pontifice delegari possit (5). Postremo ad Capitulum provinciale, quemadmodum Abbates, vocantur Priores Conventuales (6). Ceterum cum Priores Conventuales habeant curam animarum, saltem intra annum presbyteratus ordine initiati esse debent (7); in iis enim servatur constitutio Gregorii X. in Cap. *Licet Canon* de Elect. in VI.

Prior autem Claustralis praeest claustro, et Monasterio post Abbatem. Ejus est, coërcere monachos delinquentes, eosque verbo, et exemplo docere (8). Ceterum in Ecclesiis Cathedralibus, quae sunt Regulares, Episcopus idem est, ac Abbas Monasterii, habetque ordinariam jurisdictionem in monachos, vel Canonicos regulares, praeterquam in iis, quae pertinent ad regulam, in quibus Prior Claustralis suam habet jurisdictionem; et vacante Sede Episcopali, Episcopi jurisdictio ad Priorem devolvitur (9).

(1) *Cap.* Scriptum *de Elect. Cap.* Litteras *de Conc. Praeb.* e §.
(2) *Cap.* Cum in Ecclesiis *de Majorit. et Obedient.*
(3) *Cap.* Monachi *de Statu Monachor.* e §.
(4) *Clement.* Etsi principalis *de Rescript.*
(5) *d. Clement.* Etsi principalis.
(6) *Cap.* In singulis *de Statu Monachor.* e §.
(7) *Cap. I. de Aetat. et Qualit. Praeficiend.* e §.
(8) *Cap.* Cum ad Monasterium *de Statu Monachor.* e §.
(9) *Cap.* Novit 1. *Ne Sede vac.* e §. *Cap.* Ad nostram 5. *Cap.* Porrecta 6. *de Confirmat. util.* e §.

De Abbatissis, et Praepositis, seu Priorissis.

Sicut monasteria virorum habent Abbates seu Priores, a quibus reguntur; ita et Monasteria virginum habent Abbatissas, seu Praepositas, quae ita subditas regere debent, ut norint, se pro his in conspectu Domini rationem reddituras (1). Abbatissae autem erga puellas sibi commissas uti matres erga filias censentur. Earum officium est, monialibus necessaria suppeditare pro monasterii facultatibus (2), et corrigere delinquentes (3). Ceterum Abbatissis nullum jus est, monachas, vel Canonicas, clericosve Monasterio subjectos excommunicandi; licet ab officio, et beneficio eas, eosve suspendere possint (4) (*a*). Eodem sane pacto Abbatissis virgines velare non licet, easque, si se invicem percusserint, absolvere; id enim ex clavium potestate promanat (5). Abbatissam autem, vel Priorissam non minorem annis quadraginta eligi voluere Tridentini Patres; quae annis octo post expressam professionem vixerit. Quod si hisce praerogativis ornata non reperiatur in Monasterio, ex his, quae annnum tricesimum excesserint, et quinque saltem annis post

(1) *Conc. Cabilon. II can. 54.*
(2) *Concil. Aquisgran. cap. 13.*
(3) *Conc. Cabilon. II. can. 54.*
(4) *Cap.* Dilecta 12. *de Majorit. et Obedient.* c ꝫ.
(a) *Ea suspensio non est juris, i. e. censura Ecclesiastica, quae violata irregularitatem inducit, sed suspensio regularis, quae multat tantum societate, vel emolumento fructuum. Si enim damnatus non pareat, Abbatissa non potest per se eum coërcere Ecclesiastica censura: sed adire debet seu Episcopum, seu Rom. Pontificem, si sit exemta, a quo dabitur judex, qui per censuras Ecclesiasticas mandata abservare compellat, uti habetur in Cap.* Dilecta 12. *de Majorit. et Obedient.*
(5) *Cap.* Nova quaedam *de Poenit.* c ꝫ.

professionem recte vixerint, eligi jusserunt, Episcopo, vel alio Superiore consentiente. Ceterum qui Abbatissae, vel Priorissae electioni praeest Episcopus, sive alius Superior, claustra Monasterii ingredi prohibetur; sed ante cancellorum fenestellam secreta vota singularum Monialium audire, vel accipere debet (1), eligentium nominibus numquam publicatis (2).

De Probatione, et Professione Monastica.

Cum monachorum propositum sit valde arduum, et periculosum, qui ad illud venire contendunt, non sunt temere admittendi. Per obedientiae experimentum maxime probari potest vocatio accedentium ad Monasterium. Et olim quidem qui se se monasterio offerebant, non admittebantur, priusquam per decem dies excubuissent pro foribus monasterii vocationis spectandae causa. Eo termino elapso, in monasterium non recipiebantur, sed dabatur eis locus in cella hospitum, et tradebantur magisterio senioris, unde in cellam novitiorum deducebantur (3).

In probanda vocatione ratio habebatur aetatis, fortunae, conditionis, ingenii, ac morum. Quare seniores aegre recipiebantur, facilior autem junioribus ad monasterium patebat aditus. Quin et conjugati, invita uxore, non admittebantur (4), licet liberi, invitis parentibus, monachi fieri non prohiberentur (5). Itidem a Monasterio repellebantur servi sine dominorum consensu (6); publicis ratiociniis

(1) *Trid. Sess. XXV. cap. 7.*
(2) *Id. ead. sess. cap. 6.*
(3) Cassian. *de Institut. Coenobit. cap. 5.*
(4) *Can.* Agathosa *C. XXVII. q. 2.*
(5) *L.* Ut non liceat 55. *L.* Deo nobis 56. *C. de Episc. et Cler.*
(6) *L.* Servis *C. eod.*

obligati, debitores fisci, vel privatorum, morbo sontico laborantes, et alterius monasterii monachi sine Abbatis sui venia (1).

Jam vero Novitii (a) olim in toto probationis curriculo vestem non mutabant. Hinc Patres Aquisgranenses: *Ipse vero nec tondeatur, nec vestimenta pristina immutet, priusquam obedientiam promittat* (2). At hodie qui monasterium ingrediuntur, ipso probationis initio vestem secularem deponunt, et regularem suscipiunt, ne in pari professione dispar sit habitus (3). Quin, quos ante triennium probationis ad professionem admitti vetuerunt Trullani Patres (4), eos post unius anni spatium professionem emittere posse, statuerunt Pontifices, et Patres Tridentini; ut tamen professio ante annum elapsum emissa non valeat (5).

Porro Novitii, nisi professionem emiserint, proprie monachi non sunt: nam monachum non habitus, sed professio facit (6). Quapropter si quod habent beneficium novitii, ante professionem vacare non censetur (7). Imo quaevis renunciatio etiam cum juramento ab ipsis facta sine Episcopi venia nullius est momenti, nisi fiat intra duos proximos ante pro-

(1) *Can.* Monachum *C. XX. q. 4.*

(a) Novitii *dicti sunt, qui probationis experimentum faciunt, ut distinguantur* a Professis, *exemplo servorum, ex quibus novitii vocantur, qui nondum annum servierunt. L. ult. §. quoties ff. de Publican. Hac de causa dicti sunt* Pulsantes, *et locus probationis* Pulsatorium *Capit. Aquisgran. quasi stantes, et ostium monasterii pulsantes.*

(2) *Conc. Aquisgran. can. 34.*

(3) *Conc. Trid. sess. XXV. de Regular. cap. 15.*

(4) *Conc. Trullan. can. 41.*

(5) *Cap.* Ad Apostolicam *de Regular. Cap.* Non solum. *Cap.* Constitutionem *eod. in VI. Conc. Trident. Sess. XXV. de Regular. cap. 16.*

(6) *Cap.* Monachum *C. XX. q. 1.*

(7) *Cap.* Beneficium *4. de Regular. in VI.*

fessionem menses: quae tamen, professione emissa, effectum suum sortietur (1). Itidem Novitii licet non habeant vocem in Capitulo (2), gaudent jure, et privilegiis Regularium; ut neque in civilibus, neque in criminalibus causis possint apud laicum judicem conveniri.

Annalem probationem rite peractam sequitur Professio. Ea est actus legitimus, quo Novitius post expletam probationem sollemni voto renunciat seculo, et profitetur religionem. Professio autem, quae Deo fit, ab Abbate Regulari recipitur (3). Abbatis enim Commendatarii nullae sunt ea in re partes, quia nullam habet jurisdictionem, sed tantum administrationem. Emissa vero professione publice in Ecclesia ante altare, profitens induitur cuculla cum caputio, eique nomen mutatur, quasi sit regeneratus. Professio autem alia est expressa, alia tacita. Expressa requirit scripturam, et testes, et profitentis subscriptionem (4): tacita professio fit per gestationem habitus monastici ultra annum, ubi non est distinctus Professorum habitus ab habitu Novitiorum (5). Inter utramque illud interest, quod Abbatiae, seu Praelaturae, nisi expresse professis conferri non possunt (6).

Jure veteri professio ante pubertatem emissa non valebat (7), imo ex constitutione Gregorii I. ante plenam pubertatem i. e. ante annum duodevicesimum facta in Monasteriis constructis in insulis,

(1) *Conc. Trid. Sess. XXV. cap. 16. de Regular.*
(2) *Clement.* Ut ii *2. de Aetat. et qualit. praeficiend.*
(3) *Cap.* Porrectum *13. de Regularibus e* ʒ.
(4) *Conc. Tolet. X. can. 4. Can.* Vidua *C. XX. q. 1. Can.* Legum *C. II. q. 1.*
(5) *Cap.* Ex parte *22. de Regular. Cap. I. eod. in VI.*
(6) *Cap.* Nullus *28. de Elect. in VI.*
(7) *Can.* Pueri *C. XXII. q. 6. Cap.* Ad nostram *8. Regular. e* ʒ.

nullius erat momenti (1). Ex regulis autem Concilii Tridentini tam mares, quam feminae ante impletum annum decimum sextum frustra profitentur (2). Sed apud nos, quo adolescentes maturiori consilio sibi consulant, Augustissimus Rex Ferdinandus I. edixit, ut ante annum XXI. expletum nemini liceret professionem emittere. Praeterea professio debet esse libera: per vim enim, ac metum extorta nullius est momenti (3), nisi vel ratihabitione (4), vel quinquennali silentio convaluerit (5) (*a*). Cum vero professio sit actus legitimus, nullam recipit conditionem. Proinde non potest ita fieri, ut proprium quis retineat: id enim est contra voti substantiam. Abdicatio siquidem proprietatis adeo est adnexa regulae monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit dispensationem indulgere, uti Abbati et Conventui Sublacensi rescripsit Innocentius III. (6).

(1) *Cap.* Quia *6. eod.* e ꝝ.
(2) *Conc. Trid. Sess. XXV. de Regular. cap. 15.*
(3) *Cap.* Perlatum *de His, quae vi, metusque caus.*
(4) *Cap.* Significatum *11. de Regular.*
(5) *Trid. Sess. XXV. de Regular. cap. 19.*
(a) *Qui* nullam *professionem emisit, potest intra quinquennium adversus eam reclamare; elapso quinquennio non auditur, nisi vis, et metus, et impedimentum reclamandi ei obfuerit. Reclamans autem tria haec observare debet, 1. ut intra quinquennium reclamet, sublato impedimento; 2. ne ante reclamationem habitum deponant, 3. ut causas nullitatis suae professionis coram Ordinario, et suo Superiore proponat. Conc. Trid. Sess. XXV. de Regular. cap. 19.*
(6) *Cap.* Cum ad Monasterium *6. de statu Monachor.*

De Votis Monasticis.

In professione tria vota emittuntur, obedientiae, paupertatis, et castitatis. Secundum vero regulam Benedictinam qui profitentur, *stabilitatem*, *morum conversionem*, *et obedientiam* diserte promittunt, unde saltem interpretatione tria monastica vota manarunt obedientiae, paupertatis, et castitatis. Obedientia autem est primaria virtus monachorum, et virtutum omnium complementum (1), atque professionis caput, quia est sui ipsius abnegatio (2). Hinc Hieronymus ad Eustochium, *prima Coenobitarum confoederatio, obedire majoribus.* Ea vero obedientia fit, ut monachis jussa Superiorum expendere non liceat; ut propterea a veteribus *coeca* fuerit nuncupata.

Paupertas vero, quam monachi profitentur, in rerum omnium temporalium abdicatione consistit. Ea iis proponitur, qui ad Evangelicam perfectionem adspirant. Quare monachus, qui paupertatis votum emisit, nihil potest habere proprium propter voti religionem. Quin rerum temporalium abdicatio adeo monacho adhaeret, ut in ipsa professione non liceat quidquam proprium seponere. Et proprietatis tollendae causa monachus prohibetur sine Abbatis venia munuscula dare, vel accipere. Adeo autem proprietatis abdicatio monachorum propria est, ut adversus eam dispensatio neque ab Abbate, neque ab ipso Romano Pontifice indulgeri possit. Quare si proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte, *ipsam cum eo in signum perditionis extra monasterium in sterquilinio subterrari*, edixit Innocentius

(1) Sulpit. Sever. *Dial. I. de Virtut. Monachor.*
(2) Anselm. *lib. III. ep. 7.*

III. (1). Ceterum licet quaevis proprietatis ratio monachismo adversetur, tamen post instituta regularia beneficia in nonnullis monasteriis Abbates suis beneficiis contenti a vita communi recesserunt. Abbatum exemplo reliqui Monasterii officiales proprios sibi fundos obtinuerunt officiis suis adnexos. Atque hoc pacto officia monastica in beneficia degenerarunt. Sed Tridentini Patres, quo obviam malo irent, edixerunt, ne deinceps Monachorum Praefecti alicui monacho res immobiles quocumque titulo concederent, utque res mobiles, quae monachis conceduntur, paupertatem redolerent, poena privationis vocis *activae*, et *passivae* iis per biennium indicta, qui contra canonem attentarent (2).

Quod vero ad castitatem pertinet, eam ab ascetices primordiis Monachi coluere, ἐγκρατευομενοι i. e. *continentes* a veteribus appellati. Quare castitatis tuendae causa monachis mulierum consuetudine interdicitur (3), et jejunium, oratio, lectio scripturarum, opus manuum ipsis inculcatur (4). Eadem sane de causa, *ut soli sine alio fratre monachi in via non dirigantur*, praescripsit Synodus Aquisgranensis (5). Et quo suspicionibus non sit locus, vetantur monachi, pueros de baptismo suscipere, sibique commatres facere (6). Castitatis autem sollemniter promissae ratio monachos maritos esse non patitur. Quare Concilium Chalcedonense monachis communione interdixit, qui matrimonia attentarent (7). Cum porro, lapsa disciplina, monachorum nuptiae

(1) *Cap.* Cum ad Monasterium *de statu Monach.*
(2) *Conc. Trid. Sess. XXV. de Regular. cap. 2*
(3) Cassian. *de Institut. Coenobit. lib. II. cap. 17.*
(4) Id. *ibid. lib. VI. cap. 1.*
(5) *Conc. Aquisgran. can. 15.*
(6) *Can.* Non licet. *Can.* Monachi *Dist. IV. de Consecr.*
(7) *Conc. Chalced. can. 16.*

illicitae quidem, at non irritae censerentur (1), in Concilio Romano an. 639. celebrato primum fortasse constitutum, ut in posterum *nullae* haberentur (2). Illud quoque praeteriri non potest, ad monachorum fovendam castitatem, vetitum semper fuisse mulierum in eorum Monasteria ingressum, excommunicatione Abbatibus indicta, qui contra regulam Ecclesiasticam molirentur (3). Quin, ne quid monasticae castitati ulla ex parte detrimenti inferretur, mulieres ab ipsis monachorum Oratoriis fuerunt exclusae. Sed ad Sacramentorum administrationem seculo fortasse XI. vocati Monachi, et in Clericorum auxilium adsciti Mendicantes feminas in suas Ecclesias exciverunt.

Quemadmodum monachorum, ita et monialium monasteria cuivis ingredi nefas. Sed et ipsis monialibus e monasterio egredi interdictum. Ipsae Abbatissae Monasterio exire prohibentur sine Episcopi venia, et ex graviori causa, puta si evocatae fuerint ad comitatum Principis (4); vel si feudi nomine cogantur praestare fidem et dominium, et per procuratorem non admittantur. Media aetate de Monialium clausura remissum. At Bonifacius VIII. eam restituit, lege lata, ut Ordinarii in Monasteriis non exemtis ordinaria, in exemtis Apostolica auctoritate clausuram tueantur, vel collapsam restituant (5).

Jam vero plura sunt, quae Monasticam professionem sequuntur. Primum quidem per eam solvuntur alia omnia vota, quae in votum religionis veluti transfunduntur (6). 2. Professio solvit irregularita-

(1) Innoc. I. *ad Victric. Rothomag.* Augustin. *de Bono viduit. C. 10.*
(2) *Espen. P. II. tit. 13. c. 4.*
(3) *Conc. Turon. II. can. 15.*
(4) *Conc. Turon. III. can. 30.*
(5) *Cap.* Periculoso *de Statu Regular. in VI. Id repetitum in Concilio Tridentino sess. XXV. de Regul. cap. 5.*
(6) *Cap.* Scripturae *de Voto, et vot. redemt. c. 4.*

tem, quae oritur ex defectu natalium, sed quod ad ordines tantum, et minora beneficia, non vero quod ad dignitates, et Praelaturas obtinendas (1). 3. Per monasticam professionem monachi pro mortuis habentur: institutum enim vitae monasticae est mortis genus. Apposite Balsamo: *Magna quaedam res est, et incoeptum valde audax, separatim, et in solitudine quiescere, ac silentium agere, seipsumque in exigua domuncula, tamquam toto vitae suae tempore mortuum includere* (2). Hinc et monachismum idem Balsamo appellat νεκροποιον διαγωγην *mortificantem vitae rationem* (3). Ex hoc autem fit, ut Monachi nec convenire, nec conveniri judicio possint (4); clericum accusare, vel adversus eum testimonium dicere prohibeantur, quia vocem funestam interdici potius, quam audiri oportet (5); curam animarum exercere, verbumque Dei praedicare nequeant sine Episcopi venia (6): monachus enim non docendis, sed lugendis habet officium (7). Ex eodem principio promanat, ut monachi testari ne ex dispensatione quidem Pontificia possint (8), tutelam, vel curationem administrare prohibeantur (9), et judicis officio fungi (10). Ex professione quoque descendit 4. ut, si Monachus Episcopus eligatur, ordinatione non desinat esse Monachus, neque votis emissis solvatur, licet a jurisdi-

(1) *Cap. 1. de Fil. Presbyter. e §.*
(2) Balsam. *in can. 41. Conc. VI. in Trull.*
(3) *Id. in can. 6. Syn. Constantinopolit. II.*
(4) *Can.* Nullus. *54. C. II. q. 7.*
(5) Placuit. *55. ead. C.*
(6) *Can.* Placuit. *Can.* Juxta *C. XVI. q. 1.*
(7) *Can.* Monachus. *C. ead.*
(8) *Cap.* Cum ad Monasterium *de statu Monachor.*
(9) *Cap.* Religiosus *de Testam. in VI.*
(10) *Cap.* Sed nec. *Ne Cleric. vel Monach. e §.*

ctione Abbatis, et a regula sit immunis (1), neque monasticam vestem deponere queat (2). Professione denique fit 5. ut per eam conditio nuptiarum impleatur, cum professio monastica matrimonio aequiparetur. Hinc si quid legatum fuerit puellae sub conditione nuptiarum, relictum debebitur, si monasterium ingrediatur (3); et, si cui fideicommissum sit relictum sub conditione liberorum, fideicommissum debetur: monasterium enim est loco filii (4).

De Clericatu Monachorum.

Primis seculis Monachi extra clerum, et inter laicos censebantur. Hinc quaque die Sabbati, et Dominica una cum plebe conveniebant ad Ecclesiam proximae civitatis, vel vici, a presbytero Sacramenta petituri (5). In Ecclesia autem stabant extra cancellos, medii inter clerum, et plebem (6), et oblationes tamquam laici ad altare deferebant (7), excommunicationi, quae laicorum poena erat, non clericali depositioni subjecti (8). Quare in censu ordinum Ecclesiasticorum Abbas post Ostiarium locatur (9).

Jam vero, excrescente monachorum multitudine, ut inde emergenti clericorum paucitati prospiceretur, Siricius primum, deinde Gelasius veniam monachis

(1) *Can.* De Monachis *3. XVI. q. 1.*
(2) *Cap.* Clerici *15. de Vit. et Honest. Clericor.*
(3) *Nov. 123. cap. 37.*
(4) *Nov. 123. cap. 2.*
(5) Theodoret. *de Vit. Patr. cap. 12.* Cassian. *de Institut. Coenobit. cap. 26.*
(6) Dionys. Areopag. *epist. ad Demophil.*
(7) Hieron. *ad Heliodorum.*
(8) *Concil. Chalced. can. 2.*
(9) *Can.* A Subdiacono *Dist. XCIII.*

fecit, qua in clerum cooptarentur (1). Ex monachis autem clerici non ordinabantur, nisi aetate maturiores, et moribus probati, et non sine Abbatis consensu (2). Quod sane optima fuit ratione constitutum, ne vagi, et nequiores ordinarentur. Monachi autem, nisi a proprio Episcopo ordinari non possunt (3). Ceterum ante Tridentina comitia Monachi, praesertim Mendicantes id sibi tamquam ex Apostolico privilegio vindicabant. Malo obviam iverunt Tridentini Patres, ubi edixerunt, Monachos a proprio Episcopo, praevio examine, nec ante legitimam aetatem ordinarii oportere, nec ab alio promoveri posse cujuslibet privilegii obtentu (4). *Proprius* autem Episcopus in praesenti specie ille dicitur, in cujus dioecesi situm est monasterium, in quo monachus ordinandus versatur.

De Monachorum Exemtionibus.

Jure veteri Monachi omnes parebant Episcopo dioecesano. *Placet, eos, qui per singulas civitates, vel regiones in monasteriis sunt, subjectos esse Episcopo*, edixerunt Chalcedonenses Patres (5). Hinc Isidorus Pelusiota inter Episcopi officia illud recenset, quod speculari debeat monachorum negligentias. Ex ea Episcopali potestate manavit, ut ordinatio, et institutio Abbatum ad Episcopum pertineret (6); quemadmodum hodie eorum benedictio Episcopalis juris est (7). Hinc in obedientiae argumentum Abbates ante benedictionis munus acceptum solent Epis-

(1) *Can.* Monachos *C. XVI. q. 1. Can.* Priscis *Dist. LV.*
(2) *Clement.* Ne in agro *pen. de Statu Monach.*
(3) *Conc. Carthag. V. can. 13.*
(4) Cum nullus *de Tempor. ordinat. e* ꝟ.
(5) *Conc. Chalced. can. 4.*
(6) *Can.* Abbates *Dist. L.*
(7) *Cap.* Statuimus *de Suppl. neglig. Praelat.*

copis subjectionis edere professionem, cujus formulam Abbatibus Cisterciensibus dedit Honorius III. (1).

Sed ex quo Abbates a suis Monachis eligi coeperunt, quod a Pelagio I. fuit constitutum (2), paulatim Episcopalis potestas in monachos exculi coeptavit commento legis jurisdictionis, et legis dioecesanae. Hac divisione semel recepta, Monasteria quidem manserunt in potestate Episcopi in ii, quae sunt jurisdictionis, nisi specialiter forent exemta (3); a lege vero dioecesana soluta sunt, i. e., a praestatione Cathedratici (4), et quotae oblationum, quae a fidelibus fiunt, ut eorum egestati consuleretur (5).

Sed labente tempore, Episcoporum in monachos jurisdictio omnino corruit. Primus omnium Gregorius I. ob commilitii fortasse memoriam quamplura monasteria ab Episcoporum jurisdictione exemit (*a*). Exemtionum autem origo tum Episcoporum avaritiae, qua Monasteriorum rebus inhiabant (6), tum fundatorum voluntati debetur (7). Ita Wilelmus Pius Dux Aquitaniae, et Comes Arvernorum coenobium Cluniacense in pago Matisconensi a se fundatum lege fundationis subjecit Romano Pontifici (8).

Jus autem exemtionis in eo versatur, ut exemtum a potestate, et jurisdictione Ordinarii liberet, eumque ad immediatam et ordinariam Romani Pon-

(1) *Cap.* Ne Dei Ecclesiam *de Simonia.*
(2) *Can.* Abbatem *C. XXVIII. q. 2.*
(3) *Cap.* Cum venerabilis *de Religios. Domib.* c ꝗ.
(4) *Can.* Inter cetera *C. X. q. 3.*
(5) *Can.* Cum pro utilitate *C. XVI. q. 1.*
(a) *Eodem ferme jure in Oriente Patriarcha CPolitanus per* σταυροπήγιον *i. e.* crucis fixionem *in universa sua dioecesi extruebat monasteria libera, et soluta ab Episcopi jurisdictione, quae propterea dicebantur* Patriarchica. *Balsamo Jur. Orient. lib. II.*
(6) Gregor. VII. *lib. II. ep. 69.*
(7) Bernard. *de Considerat. ad Eugen. lib. III.*
(8) Orderic. Vital. *Hist. lib. XII.*

tificis transferat potestatem. Quare per exemtionem Romanus Pontifex fit exemtorum Ordinarius (1): atque exemti ita Pontifici obstringuntur, ut beneficio sine ejus venia renunciare nequeant (2). Quo sane jure exemtis non licet nec exemtionem abdicare (3), nec de libertate Monasterii compromittere, nisi Pontifex permiserit (4). Itidem ex exemtionis jure promanat, ut Episcopi Dioecesani Monasteria visitare, aut Cathedram in ipsis ponere non possint (5): ut et illud praeteream, posse exemtos a quocumque Episcopo petere ordinationes Clericorum, et Altarium consecrationes (6). Quare locus exemtus recte dicitur esse *de dioecesi*, non *in dioecesi*. Quod enim ad Episcopalem jurisdictionem, perinde habetur, ac si extra dioecesim sit positus.

Licet exemtiones sint privilegia, quae inferioribus Ecclesiis Romanus Pontifex concedere potest; eas tamen quasi Episcoporum detrimento cedentes valde insectati sunt Ecclesiae Patres. Bernardus Claravallensis Abbas ita Eugenium alloquitur: *Subtrahuntur Abbates Episcopis, Episcopi Archiepiscopis, Archiepiscopi Patriarchis, sive Primatibus.... Sic factitando probatis, vos habere plenitudinem potestatis, sed justitiae forte non ita:....Honorum, ac dignitatum gradus, et ordines quibusque suos servare positi estis, non invidere* (7). Haec profecto in causa fuerunt, quapropter primum in Concilio Constantiensi an. 1416. a Martino V. exemtionibus modus impositus; tum in Concilio Tridenti-

(1) *Can.* Nulla *Dist. XCIII.*
(2) *Cap.* Dilecti *de Renunciat.* c ȣ.
Cap. Abbatem *de Elect. in VI.*
(3) *Cap.* Cum venerabilis *de Consuet.* c ȣ.
(4) *Cap.* Cum tempore *de Arbitr.* c ȣ.
(5) *Cap.* Luminoso *C. XVIII. q.* 7.
(6) *Cap.* Constitutus *de Religios. Dom.* c ȣ.
(7) Bernard. *de Consid. ad Eugen. lib. III.*

no exemtiones ferme sublatae, plerisque in speciebus facta Episcopis potestate in exemtos tamquam Apostolicae sedis delegatis. Ita Episcopi tamquam Sedis Apostolicae delegati visitant, coërcent monachos exemtos, qui extra monasterium degunt (1). Qui vero intra Monasterii claustra vitam agunt, si extra claustra deliquerint, et a suo Superiore, instante Episcopo, intra statutum tempus correcti non resipuerint, ab Episcopis puniri possunt (2). Ab iisdem porro Tridentinis Patribus fuit constitutum, ut monasteria, quibus cura animarum est adnexa, Episcopis ea in re in omnibus pareant (3), copia pariter Episcopis facta visitandi quotannis Monasteria commendata, ubi regularis disciplina abjecta est (4). Cautum quoque in Tridentinis Comitiis fuit, ut Monasteria Monialium Sedi Apostolicae immediate subjecta ab Episcopis tamquam Apostolicae Sedis delegatis gubernentur (5), iisdem omnium Monialium clausura nominatim etiam commissa (6). Quo vero Ecclesiasticae disciplinae omni ex parte consulerent Tridentini Patres, illud edixerunt, ut in hierarchicis functionibus Monachi omnes Episcopis obediant (7), atque sine ipsorum auctoritate neque confessiones audire possint, nec verbum Dei in suis Ecclesiis praedicare (8).

Finis Tomi Primi.

(1) *Trid. Sess. VI. de Ref. cap. 3.*
(2) *Id. Sess. XXV. de Regular. cap. 14.*
(3) *Trid. d. Sess. XXV. cap. 11.*
(4) *Trid. Sess. XXI. cap. 8.*
(5) *Trid. Sess. XXV. de Regul. cap. 9.*
(6) *Trid. d. Sess. XXV. cap. 5.*
(7) *Trid. Sess. XXIII. de Ref. cap. 15.*
(8) *Trid. Sess. XXIV. de Ref. cap. 4.*